

*MASTER NEGATIVE*  
NO. 93-81265-11

MICROFILMED 1993

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES/NEW YORK

as part of the  
"Foundations of Western Civilization Preservation Project"

Funded by the  
NATIONAL ENDOWMENT FOR THE HUMANITIES

Reproductions may not be made without permission from  
Columbia University Library

## **COPYRIGHT STATEMENT**

**The copyright law of the United States - Title 17, United States Code - concerns the making of photocopies or other reproductions of copyrighted material.**

**Under certain conditions specified in the law, libraries and archives are authorized to furnish a photocopy or other reproduction. One of these specified conditions is that the photocopy or other reproduction is not to be "used for any purpose other than private study, scholarship, or research." If a user makes a request for, or later uses, a photocopy or reproduction for purposes in excess of "fair use," that user may be liable for copyright infringement.**

**This institution reserves the right to refuse to accept a copy order if, in its judgement, fulfillment of the order would involve violation of the copyright law.**

*AUTHOR:*

**WOLFF, HEINRICH**

*TITLE:*

**CATILINAE CONJURATIO  
EX FONTIBUS NARRATA**

*PLACE:*

**GLEIWITZ**

*DATE:*

**1830**


Master Negative #

93-81265-11

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES  
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record



Restrictions on Use:

TECHNICAL MICROFORM DATA

FILM SIZE: 35mm

REDUCTION RATIO: 11x

IMAGE PLACEMENT: IA  IIA  IB  IIB

DATE FILMED: 04/07/93

INITIALS Eml

FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT





**AIIM**

**Association for Information and Image Management**

1100 Wayne Avenue, Suite 1100

Silver Spring, Maryland 20910


301/587-8202



**Centimeter**



**Inches**



MANUFACTURED TO AIIM STANDARDS  
BY APPLIED IMAGE, INC.

Catilina; Lucius Sergius 108? - 62 B.C.  
No. 5

Zu der

den 10. und 12. August abzuhalenden

174.01

28

# ö f f e n t l i c h e n P r ü f u n g

und der

auf den 13. August festgesetzten

## S ch u l s e i e r l i c h k e i t

ladt ergebenst ein

Joseph Rabath,  
Director des Gymnasiums.

### Inhalt.

1. Lateinische Abhandlung: Catilinae coniaratio ex fontibus narrata, von dem Gymnasial-Lehre  
Heinrich Wolff.
2. Schulnachrichten von dem Director Joseph Rabath.

---

Gleiwitz,  
gedruckt bei Gustav Neumann.

1830.

### Catilinae conjuratio ex fontibus narrata.

Populi cujusdam, ejusdemque initio nullius fere momenti, postea vero fortuna favente, justo gloriæ studio omnique virtute multarum aliarum gentium domini, præterea litterarum atque artium amantissimi historiam universam posterorū memorie tradere quum quam maxime sit laudandum, tam singularum periodorum earumque aut litteris et artibus præ aliis eminentium, aut ob fœdissimas crudelitatem et singulares quasdam res maxime memorandarum vera et fida narratio non minore digna est laude atque utilitate. Utriusque generis, Græcos et Romanos si potissimum spectas, tempus nobis reservavit exempla, longe non omnia nec integra, que, dum mens sana in sano erit corpore justoque utemur iudicio, merita semper fruentur aestimatione. Sic Livius, Florus, Eutropius Romæ; Herodotus celebris Græcorum belli cum Persis gesti, cui populorum tum notorum inserta est historia; Thucydides civilis Græcorum inter se dissensionis Peloponnesio bello; Polybius punici belli, Cæsar civilium Romanorum inter se armorum historiam; Sallustius præter alia Jugurthinum bellum et Catilinariam conjurationem nobis reliquerunt. In hac, qua nihil nec horribilis, nec fœdus cogitari potest, mihi, qui hanc commentationem qualemcumque primam typis exscriptam lectoribus benevolis judicandam propono, ob variam referentiam auctoritatem et ob magnam rerum relatarum discrepantium commorari placuit.

Cicero enim, quo consule erupta conjuratio ipsius diligentia et studio et prudentia ita tractata erat, ut omnia conspiratorum consilia neque in urbe, neque extra eam assequerentur finem propositum, quod, cum omnia primo ad eum ut consulem delata fuisse, omnibus eum consiliis adfuisse constet, totam rem optime scire debuit, qui quatuor illas scripsit orationes in Catilinam quique ejusdem conjurationis in aliis orationibus et in epistolis toties fecit mentionem, pro primo fidissimoque habendus est auctore. Sed quum, ut aliter fieri non potuit, animum habeat a cupiditate et odio in Catilinam potissimum non liberum, et haud sciām, an ab indomita gloriæ, laudis,

ostentationis, jactantiae sui et rerum ab ipso gestarum cupiditate liberandus non sit 1), ut, quae dixerit, justo fortius expresserit, tantum abest, ut, quod historicam veritatem spectat, simplicem et absolutam fidem ei habeamus, ut magna cum cautione ejus dictis credendum esse putemus. Ceterum ipse oratorem accurate distinguit ab historiam sribente de orat. l. 11, c. 12 § 5 sqq. et cap. 15 sq. edit. Wetzel. 1795 2).

Qua re Sallustio, continuam hujus coniurationis historiam narranti, qui eodem vixerit tempore et postea etiam in senatum receptus senatus consultis uti potuerit, haud dubie maxima habenda est fides. Quin igitur totam coniurationem optime scire et narrare potuerit, nemo dubitat. Sed quum Thucydidis brevitate, verbis aptissime electis, Catonis severitate in mores cum omnium Romanorum, tum coniurationis sociorum quamvis verissime animadvertisat, sceleraque, nemini parcens, condemnet, nec non saepissime virtutem magnopere praedicet, ipsum vero libidini, voluptati aliisque vitiis deditum fuisse dicant; quicunque haec legit, valde turbari confitetur illam voluptatem, quam longe aliter, ac vixerit, eum scribentem videat. Qua re justa a viri doctis mota est quaestio, utrum historia a tam improbo viro scripta dedecoraretur si desque debilitaretur, an fieri posset, ut, qui talem egisset vitam, nihilominus, haud simulans virtutis amorem, ita, ut scripsit Sallustius, posset scribere. Qua de re viri docti magnopere dissentunt. Sunt enim, qui omnia vitia, Sallustio a non paucis scriptoribus criminis data, pro factis habeant, auctores ea referentes nihil estimandos esse dicentes, ut Cortius 3), Wielandus 4) et Muellerus 5), quocum alter 6) censor litterarum omnibus in rebus, alter 7) in nonnullis consentit. Reperiuntur, qui Sallustium pro illius temporis morum perversitate ob naturae infirmitatem omni quidem voluptati et sceleri indulsisse, simul vero recti et virtutis cognitionem habuisse putent,

1) Legas velim or. in Cat. III, c. 6 § 15; 8, 18; 9, 22; 10, 23; 11, 26; 12, 28. IV, c. 1 § 2; 11, 23; in Pis. c. 2; II de leg. agrar. c. 2 et 3; ad Quir. p. red c. 7; p. red. in sen. c. 15 fin.; de offic. I, 22, 77 et 78, ad Attic. I, ep. 15; I, 16; IV, 1; V, 20; ad fam. V, 7; IX, 14; maxime ad fam. V, 12. Qua re Plutarchus, Cic. vit. c. 24, eadem sui jactantia, quod nullus fuerit nec senatus, nec populi, nec judicum conventus, quo non Catilinam et Lentulum habuerit in ore, eum invidiosum se reddidisset dicit. Cf. Meissner. edit. Sall. 1790 p. 8 et ad cap. 21 p. 81 — 2, a, et Wieland. vol. I vers. Cic. epist. p. 59. — 2) Hic legenda sunt, que Wielandus (vol. II vers. Cic. epist. p. 31 et 32) dicit: Ein künftiger Commentator der Reden Ciceros wird nur zu viele Beweise finden, wie gleichgültig dem großen Redekünstler die Wahrheit war u. et Wachsmuthins (Gesch. d. röm. Staats p. 29): Cicero ist bei dem, was er so beiläufig einmischt, nicht so unbedingt glaubwürdig. In manchen sich widersprechenden Angaben erkennt man eher den Redner, der die Worte leicht nimmt, als den genauen Geschichtsforscher. — 3) In præf. ed. Sall. — 4) Cf. ad Hor. sat. I, 2 p. 65 — 80 ed. 1819. — 5) Libro: C. Sallustius Crispus, oder historisch-kritische Untersuchung der Nachrichten von seinem Leben, der Utheile über seine Schriften und der Erklärung derselben, von D. M. Müller, Bützow, 1817. — 6) Heidel. Jahrb. 1817. Nro. 53. — 7) Krit. Bibl. 1819. Nro. 1, p. 23 — 35. —

ut, dum vera noverit mens, animus eum aliter agere coegerit, et quamvis illa morum pravorum severissima animadversio ex ejus ore maximam prodat impudentiam, ob idem, quod illa voluptati dedita vita tamen opera scribere potuerit tantæ perfectionis, eum quam maxime mirandum esse dicant 8). Similiter modo, sed uberior et aestimatis singulis hoc pertinentibus auctorum locis, hac de re disputavit Læbellius 9), cui vitia, quorum Sallustius accusetur, omnia esse verissima ipsumque vere aliter, ac vixerit, scripsisse persuasum est. Quæ tamen quoniam non omni ex parte sint vera, nec, quid hac de re statnatur, ad Sallustii fidem historicam perinde sit, quid nobis videatur, dicamus.

Si Macrobius 10) Sallustium gravissimum alienæ luxuriæ objurgatorem et censorem appellat; Symmachus 11) eum ob scripta, minime vero, quod ad ritam attinet, laude dignum esse dicit; Lactantius 12) vero verba: „servivit enim foedissimis voluptatibus suamque ipse sententiam ritæ pravitate dissolvit,“ afferens eum, quippe qui aliter scripsit, ac vixerit, nequam hominem rituperat: de eorum dictorum veritate non temere dubites; quæ dicta testimoniis scriptorum fide dignorum confirmata non sunt negligenda. Quod enim M. Terentius Varro 13), auctor fide sane dignissimus, Sallustium, scriptorem seriae illius et severæ orationis, in adulterio reprehensum ab Annio Milone loris bene cæsum et, quum dedisset pecuniam, dimissum dicit, id pro illius auctoritate sine ullo dubio credendum est 14); num vero Horatius 15) illis versibus nostrum Sallustium notaverit necne, lis quidem adhuc sub judice est, sed rectius dubitandum 16). Sallustium etiam senatu motum esse (u. c. 704) ab Appio Claudio censore, Dio Cassius 17) testatur, non vero ob illum incestum Faustæ, Sullæ filiæ, Milonis uxoris amorem, ut Wielandus, Meyerus et Heindorfus falso dicunt, sed, ut Dio indicat, quod Appius Cæsari inimicus, Pompejo vero favens fuit, propterea multos equites et senatores, inter eos etiam Sallustium, propter illam

8) Cf. Schlueterus in præf. Sall. — 9) Zur Beurtheilung des C. Sall. Crispus von J. Wilh. Löbell. Breslau, 1818. 58. cf. Heidelb. Jahrb. 1819. März, quem librum ne in capite quidem Silesiae accepi legendum. — 10) Saturn. I, II, c. 9 (vixit 410 p. Ch.). — 11) Ep. ad div. V, 65 (vixit 384). — 12) Instit. div. II, c. 12 (vixit 300). — 13) Apud Gell. noct. attic. I, 17 c. 18. — 14) Contra Muellerum l. c. p. 21 — 31 ejusque censorem (Heidelb. Jahrb. 1817, Nro. 53, p. 847), Varronis auctoritatem plane rejicientes, legas velim alterum Melleeri censorem in bibl. crit. 1819. I p. 28 — 33 et Læbellium l. c. p. 21 — 32. Wielandus agnoscit quidem Varroni auctoritatem, sed Sallustium excusare stadtet ad Hor. sat. I, 2, 48 p. 69 — 70. — 15) Sat. I, 2, 41 sqq. — 16) Cf. Wieland. I. c. p. 66 et 78 — 80; Heindorf. et Bothe (in Feæ Hor. edit.) ad vers. 48; Læbell. p. 31 — 36 et Melleeri censor bibl. critic. p. 32, qui uterque ultimus, quanquam Horatius illis versibus de nostro Sallustio non cogitaverit, scholiorum et Asconii auctoritatem recte tuetur, consentientibus Gerlachio in præfatione edit. Sall. ejusque censore in ephem. litter. Jenens. anni 1819. Nro. 136 p. 122. Ceterum lege, quod Suet. Jul. vit. c. 50 de Cæsare dicit. — 17) L. 40, c. 63. —

Cæsar's inimicitiam senatu movit 18). Quod ad Numidiam a Sallustio 19) di-reptam attinet, Dionis 20) auctoritatem facere nullam ne Muellerus 21) quidem au-sus est, qui solum Cæsarem accusat hujus vitii auctorem, quippe qui verbo quidem administrandam, re vera autem diripiendam provinciam præceperit, sic ut Sallustius tantum fecerit ab imperatore sibi imperata; sed etiam si cum Cæsare inimicitias inire noluerit, abdicans tam fœda prefectura, ut hac ex parte excusari possit, tamen ut etiam sibi prospiciens raperet, nihil fuit, quod eum cogeret, nisi propria divitiarum quacunque ratione comparatarum cupiditas 22). Et profecto, etiamsi nullum ad nos pervenisset talem Sallustii vitam testans argumentum, sicuti nullum exstat, aliter eum vixisse, ipse gravissimus est auctor, qui bell. Cat. c. 3 se aperte profitetur adole-scentulum initio, sicuti plerosque, studio ad rempublicam latum esse, ibique sibi adversa multa fuisse; nam pro pudore, pro abstinentia, pro virtute audaciam, lar-gitionem, avaritiam viguisse; et initio cap. 4. si animum ex multis miseriis atque periculis requievisse dicit, certo nihil nisi vitam suam respicit; præterea etiam illa severa morum tam vere descriptorum castigatio, eos ipsi non ignotos fuisse, non minus declarare videtur 23). Sed licet eum ab his omnibus nullo modo liberari posse nobis persuasum sit, non tamen jam eum simulatorem condemnemus, nec inde, haud dubie eum alter, ac vixerit, scripsisse, necessario sequi putemus. Sallustius enim, quod cum ex toto opere colligi potest, tum ex singularis apparet sententiis, quibus,

18) Contra Wielandum ad Hor. sat p. 69, Meyerum libri: „Kdams Handbuch der römischen Alterthümer“ p. 8—9 (utriusque editionis et a. 1805 et a. 1818) et Heindorfum ad Hor. sat. v. 48, falsam caussam afferentes, lege Muellerum l. c. p. 35—39, ejus censorem crit. bibl. p. 33 et Læbellium l. c. p. 37—38. — 19) Huic provinciae eum Cæsar præfecit, quare Hir-tius bell. Afric. c. 97 (cf. c. 34) eum vocat proconsulem, cf. Baumgarten — Crusius ad Suet. Jul. Cæs. c. 54. — 20) L. 43, c. 9. — 21) p. 45. — 22) Adversus Muellerum l. c. p. 41—50, quocum uterque censo consentit, (ille crit. bibl. p. 24—28, sed p. 26 dubitan-tes,) recte disputat Læbellius p. 38—42. Quas vero Sallustius habuit divitias magnas, (cf. Meyerus libri: „römische Alterth. 1805.“ vol. I, p. 10,) eas sibi Numidiam administrans comparasse dicitur. Cf. de illis hortis Sallustianis: Wielandus l. c. p. 78; Meissnerus edit. Sall. p. 15; Meyerus l. c. vol. II, p. 421; Kunhardtus edit. Sall. p. XVIII; Læbellius l. c. p. 41 et maxime De Brosses libro: Histoire de la république romaine dans le cours du 7. siècle par Salluste III, p. 362 sqq. et Gernhardt edit. Sall. Gerlach, vol. II, p. 25—31. — 23) Jam dubium non est, quin Sallustius ab his criminibus et vitiis liberari non possit. Cf. Heindorf. l. c. ad v. 48, Læbell. l. c., Gerlachius edit. Sall. vol. II, p. 1—25: „De Caji Sall. Crisp. vita et scriptis“ et ejus censor in ephem. litter. Jenens. 1819. Nro. 130, et Wachlerus libro: Handbuch d. Gesch. d. Rött. (1822.) vol. I, p. 203. Illam vero Lenæi satiram (cf. Suet. de illust. gram. c. 15), quæ brevior ad nos pervenit, quam ut certi aliquid de ea statuere possis, primam caussam unicunque auctorem omnium Sallustio criminis datorum vitiorum habere ridiculum est. Contra Wieland. l. c. p. 73 et Mueller. p. 9—10 lega ejus censorem crit. bibl. p. 31, et Læbell. p. 12—13. —

postquam animus ex multis miseriis requieverit ipseque vitam a re publica procul ha-bendam decreverit 24), populi romani res gestas scribere se statuisse dicit, et Catilinarium bellum et cetera opera non nisi post Cæsaris mortem scripsit 25). Jam omnia ejus luxuriosæ vitae testimonia quoniam tantum hoc usque spectent, nec ne minima quidem reperiatur significatio, eum in ea, quam antea egerit vitam, semper perseverasse, quod Læbellius (l. c. p. 45), nulla auctoritate nixus, pro certo affirmare non dubitat, ipse vero sua vitia tam aperte profiteatur, neque prius, quam postquam animus ex il-lis multis miseriis requieverit, historiæ studio se totum dedisse affirmet; profecto talia tam simpliciter de se ipso consitenti quam maxime credendum est, mutasse enim prius actam vitam redisseque ad virtutem, a qua mali mores, qui præter unum Catonem et Ciceronem omnes captos tenuerunt, et mala ambitio eum abduxerint. Quo mi-nus vero tum priorem vitam probavit, eo rectius etiam aliorum describere, eo severius animadvertere potuit. Hinc illa tam frequens et calida virtutis prædicatio, hinc illa morum malorum, quorum eum tum et pigebat et tenebat (cf. bell. Jugur. c. 4.), tam severa animadversio. His igitur rationibus nixi et quod nullo modo cogitari posse vi-detur hominis alicuius uno eodemque tempore tam diversus animi status, nec, numeri possit, ut aliquis modo corpori gratificetur, modo aliorum vitia, quibus ipse laboret, tam severe carpat et adeo virtutem commendet, videmus 26); nebis Sallustium vere, ut scripserit, ita tua, quoniam scripserit, et cogitasse et vixisse persuasum est 27). Posse vero hominem luxuriosissimum quacunque re commotum aliquando ad veri virtusque cognitionem et huic consentaneam reverti vitam, fuisseque tales homines, exemplis ex historia petitis probari possit. Potuisse igitur Sallustium vera scribere cum hue usque dicta satis probent, tum id, quod, quamvis tot juvenes nobiles, a Catilina corrup-ti, istius coniurationis fuerint participes, enim inter eos non fuisse constat, ut eo magis, quod sibi animus a spe, metu, partibus reipublicæ liber fuerit, se eam quam verissime perscripturum esse dicat 28).

Aliam vero viri docti moverunt quæstiōnem hic minime prætermittendam, non sa-tis esse dicentes videre, ne ab historico quid falsi dicatur neve secus, sed etiam, ne

24) Bell. Cat. c. 4 et bell. Jug. c. 4. — 25) Cf. Tellerus ed. Sall. p. 183—184 et 187—188; Muellerus l. c. p. 50—53 et edit. Sall. p. XVI et ad cap. 53 fin.; Kunhardtus ed. Sall. p. XIII; Læbellius l. c. p. 16; Wachlerus vero l. c. p. 204 dubitanter 702? 710? —

26) Huc pertinent, quæ Seneca dicit epist. 114: Græcis jam hoc usitatum fuisse proverbium, talem hominibus esse orationem, qualem vitam; non posse alium esse ingenio, alium animo co-lorem. Græci vero dixerunt: τὸν λόγον εἰδωλον εἴναι τῶν ἔργων. cf. Diog. Laert. l. 56, et Plato: ὁτις ὁ λόγος, τοιούτος ὁ τρόπος. — 27) Cf. inter alios Wachlerus l. c. — 28) Bell. Catil. c. 4. —

quid veri non dicatur. Qua ex parte Sallustium, ad Ciceronem potissimum spectantia, plura omisisse justoque parciorem fuisse, ut scilicet ob illam, quæ inter eos fuerit, inimicitiam fieri debuerit, dicunt<sup>29)</sup>. Nec, si potissimum, qua ratione alios laude minore dignos extulerit (cf. bell. Catil. c. 53 et 54.), reputatur, eum de Ciceronis consulatu parcus seripsisse negari potest; sed quum **conjunctionem** illam paucis se absolutorum esse indicaret, in Ciceronis quoque rebus institutum suum servavit, præsertim quum de ejus consulatu tam multa jam ab ipso in orationibus, in epistolis, ab Attico, Luccejo et aliis fortasse scripta legisset<sup>30)</sup>. Qui inimicitias inter eos statuunt, easque ortas ob illam Milonis de Clodio interfecto caussam<sup>31)</sup>, qua, quamvis Ciceronem habret defensorem<sup>32)</sup>, Sallustio tribuno plebis gravissime contradicente in exsilium missus est, recte quidem faciunt, sed jam tum ii in gratiam redisse dicebantur<sup>33)</sup>, et omnino eos amicos sibi fuisse non constat<sup>34)</sup>; certo enim epistole invicem sibi missæ exstarant saepiusque Cicero ejus fecisset mentionem, quem semel tantum memorat<sup>35)</sup>. Sed quæcunque fuerunt inimicitiae, (magnæ non fuerunt, Cicero enim haud dubie apud amicos id questus esset,) Sallustium certo in vera exhibendo non turbarunt, qua re recte maxima ei habetur fides<sup>36)</sup>.

Jam ipsam adeamus Catilinæ conjunctionem.

Qualis fuerit ista **conjuratio** quemque finem et quod consilium habuerit, optime nos docet Sallustius<sup>37)</sup>. Catilina enim quidam cum magna juventutis ab ipso corruptæ civiumque parte, civitatis regendæ consilio impulsus, quem justa ratione assequi non potuit honorem, vi sibi comparare decrevit, ita quidem, ut urbis duodecim locis

<sup>29)</sup> Cf. Wielandus ad Hor. sat. p. 75 et Lange ad Sall. bell. Cat. c. 23 fin. et ad cap. 53 adnot. 10. — <sup>30)</sup> Quo modo Ciceronem commemoaret, intelliges e belli. Cat. c. 23. med., 31, 48, 50, 53. — <sup>31)</sup> Cf. Muellerus l. c. p. 32—34 et 36—37. — <sup>32)</sup> Oratione, quæ exstat, pro Milone. — <sup>33)</sup> Cf. Asconius Pedianus ad Cic. or. pro Milon. et Muellerus l. c. p. 32. — <sup>34)</sup> Sic Sophoclem et Euripidem, Xenophontem et Platonem inimicos sibi fuisse constat, nec, cur fuerint, notum. De utriusque ultimi inimicitia cf. Gellius noct. attic. I. 14, c. 3; Wolfius Platon. sympos. præf. p. LVIII—LX. (ed. 1782.) et Bœkh. de similitate, quæ Platoni cum Xenophonte intercessisse fertur. 1811. — <sup>35)</sup> Ad Attic. I. XI, ep. 20. — <sup>36)</sup> Vellejus Pat. I. II, c. 36 Sallustium nominat Thueydidis æmulum; Seneca maj. l. IX controv. declam. 1 adeo Thueydi præfert; Quintilianus inst. orat. I. X, c. 1 § 101 eum Thueydi opponere non veretur et I. II, c. 6 Livio majorem habet historiæ auctorem; Tacitus ann. I. III, c. 30 eum rerum romanarum florentissimum dicit auctorem; Martialis epig. I. XIV, 101 primum in historia romana. Præterea cf. Kunhardt, ed. Sall. præf. p. XIII—XIV, Wachlerus hist. litt. I. c. et Gerlachinius ed. Sall. vol. II p. 199—208: De fide atque auctoritate Sallustii in conjunctione Catilinæ enarranda, quem librum non habui ad manus. — <sup>37)</sup> Bell. Cat. c. 27 et c. 43. Cf. præterea c. 16, 21, 23; Cic. pro Sulla c. 6 § 19; pro Mar. c. 37 § 80; Plutar. Cic. vit. c. 12. —

incensæ tumultu consul Cicero multique alii cædi destinati a sociis, adeo parentes a filiis interficerentur, deinde ut illi socii, omnibus cæde incendioque perculis, ad se Fænias prægressum ad exercitum, a Manlio quodam comparatum, erumperent, quo tum facillime urbe potiri suosque pro meritis munerari posset. Quod si Cicero<sup>38)</sup> conjunctionis socios, ut nemo ne ad deplorandum quidem reipublice nomen atque ad lamentandam tanti imperii calamitatem relinquatur, omnes interficere statuisse dicit; alio vere loco<sup>39)</sup>, Catilina cum exercitu urbem ingresso, inter alia virginum Vestalium vexationem jam in animo videt; oratoris hæc sunt ad auditorum animos movendos additamenta. Sic Flore<sup>40)</sup>, senatum confodere, consules trucidare, totum denique rem publicam funditus tollere Catilinam cum sociis aggressum esse referenti, non magis est credendum, quam Plutarcho<sup>41)</sup>, Lentulum non parvi aliquid decrevisse exhibenti, sed totum senatum tollere, civium quot possit, nemini parcere, nisi Pompeji filii, quod is jam ex Ponto et Armenia regredi nunciatus sit; propterea quidem, quod illius dictis non nisi aliis consentientibus fides habenda, hujus vero narrationibus, quia siue ab aliis mutuata mutasse reprehenditur, cautissime utendum est. Ita Sallustio soli<sup>42)</sup>, quocum Appianus<sup>43)</sup> consentit, duodecim simul opportunis locis urbem incendere constitutum esse scribenti, fides contra Plutarchum<sup>44)</sup>, centum loca incendenda urbi destinata referentem, et contra Ciceronem<sup>45)</sup>, urbem omnibus ex partibus incendendam esse prescriptum et distributum fuisse affirmantem. Quod ad partium distributionem attinet, haud dubie Ciceroni, qui tribus locis<sup>46)</sup> L. Cassio Longino urbem incendendam tributam fuisse dicit, magis credendum est, quam Sallustio, c. 43 Statilium et Gabiniū hoc munus accepisse referenti, quibus ex locis etiam Cethegum ad Ciceronem trucidandum, Gabiniū ad ceteros cives interficiendos destinatos fuisse appareat, ibique aliorum quoque enumerantur partes. —

Hujus vero fœdissimi facinoris, quod singulare est tale exemplum, causæ cum totius Romæ mores erant tum corruptissimi, qui qua ratione irrepserint qualesque fuerint, Sallustius tam vere docet<sup>47)</sup>, tum singulorum virorum tanta libido tantaque imperandi cupiditas, ut ad utramque assequendam vel maxima facinora perpetrare non dubitarent.

<sup>38)</sup> Orat. in Cat. IV, c. 1 § 2 et c. 2 fin. — <sup>39)</sup> Orat. in Cat. IV, c. 1. § 2 et c. 6 § 12. — <sup>40)</sup> Rerum rom. I. IV, c. 1. — <sup>41)</sup> Cic. vit. c. 18. — <sup>42)</sup> C. 43. — <sup>43)</sup> Rom. hist. I. II, c. 3 fin. — <sup>44)</sup> Cic. vit. c. 18. cf. Meissn. ad Sall. c. 43, a. — <sup>45)</sup> In Cat. III, c. 4. — <sup>46)</sup> In Cat. III, c. 6; IV, c. 6 fin.; pro Sall. c. 19. cf. Wieland. Cic. Briefe vol. I p. 75. — <sup>47)</sup> Inde a cap. 6—14 et c. 36 fin.—39. cf. interpp. —

In quibus Catilina, nobili loco natus, multis libidinum illecebris captus, multa etiam industria et labore excellens, rei militaris gnarus, in omnibus rebus versatus, quibus, quos vellet, sibi amicos redderet, adeo ex tam contrariis diversisque naturae studiis cupiditatibusque conflatus, ut vix simile monstrum unquam fuisse putares, vel princeps fuit civitatis pestis<sup>48)</sup>. Jam vero, adolescens multa fecerat stupra, quae, quum parcus hac de re nobis scripta restent, nisi ea Sallustius<sup>49)</sup> tam pro certo affirmasset, vix essent credenda. Licet vero, Catilinam tam luxuriosam vitam agere, neminem fugeret, is nihilominus ob generis nobilitatem et magnam, quam habebat, honestatis simulationem maximos civitatis honores appetens anno 686 u. c. ex praetura Africam obtinuit provinciam<sup>50)</sup>, unde altero jam anno vergente Romam properavit ad consulatum petendum. Sed quum serius venisset, quam ut intra illud trinundinum<sup>51)</sup> nomen profiteri posset, prætereaque eum repetundarum accensatum iri pro certo haberetur, a petitione prohibitus est. Ira vero commotus et seditiosus, ut erat, cum Cn. Pisone aliisque, postquam L. Aurelius Cotta et L. Manlius Torquatus, in locum P. Cornelii Sullæ et P. Autronii Pæti post designationem consulatus in annum 688 u. c. ambitus condemnatorum substituti, interfecti essent, Cal. Januar. consulatum Sullæ et Autronio restituere volentibus conjuravit, ita tamen, ut, cum Sullam hoc non curantem videret, ipse et Autronius in interfectorum consulum locum substituerentur<sup>52)</sup>. Suetonius<sup>53)</sup> autem, eandem describens coniurationem, a Sallustio valde dissentit. Cæsarem enim et Crassum dicit conjurasse cum P. Sulla et Autronio, post designationem consulatus

<sup>48)</sup> Cf. Cic. or. in Cat. I, c. 6 et 9; II, c. 4 et 5 et alibi; pro Cœl. c. 5 et 6; pro Mure, c. 24; Sall. c. 5, 14, 15; Vieland. l. c. p. 53—58. — <sup>49)</sup> C. 15. Quod ad illius virginis nobilis amorem pertinet, nomen ejus, hand dubie ne publice notaretur, ad nos non pervenit. Qua in re Plutarchus (Cic. vit. c. 10) Catilinam etiam fratrem necasse falso narrat, quum cum, ut Orestillam eo liberius in matrimonium duceret, filium suum sustulisse constet. Cf. Plut. Sullæ vit. c. 32 et Cic. orat. in tog. cand. — Illa Vestæ sacerdos fortasse fuit Fabia, Terentiæ, Ciceronis uxoris, soror secundum Oros, l. IV, c. 3. Quod Cicero orat. in Cat. III, c. 4 fin. et Brut. c. 67 de virginum judicio et absolutione dicit, brevius est, quam ut certi aliquid inde colligi possit. — Quæ illa Aurelia Orestilla, Catilinae uxor, cuius filiam (cf. Sall. c. 35.) Cornificius adolescens sibi despondit, (cf. Cic. ad fam. l. VIII ep. 7.) facit, non constat; hujus gratia vero Catilinam filium suum (veneno secundum Val. Max. l. IX, c. 1, 9.) sustulisse Sallustio (c. 15 verbis: pro certo creditur) et Appiano (hist. rom. l. II, c. 2. verbis: δόξας ποτὲ καὶ νιὸν ἀρέτειν) dubitanter referentibus, Cicero orator eum præter filium etiam priorem uxorem necasse dicit. — <sup>50)</sup> Cic. pro Cœl. c. 4. — <sup>51)</sup> Hac voce intelliguntur legitimi dies consulatus petendi. Cf. interpp. ad Cic. ad fam. l. XVI, ep. 12, et ad Liv. l. III, c. 35. Ernestius lexico Cic., Reizius libro: Vorlesungen über römische Alterthümer, 1796, p. 269, Buechlingius ad Sall. c. 18, et Meyerus libro: Römische Alterth. 1806. vol. I p. 167 spatium id dicunt esse 17 dierum; alii, ut idem Meyerus vol. II p. 6 et interpres Sall. c. 18 (Lange, Kuhn, Muel.) 17—30 dierum. — <sup>52)</sup> Sall. c. 18. — <sup>53)</sup> Jul. Cœs. vit. c. 9. —

ambitus condemnatis, ut principio anni senatum adorirentur et trucidatis, quos placitum esset, dictaturam Crassus invaderet, Cæsar ab eo magister equitum diceretur, constitutaque ad arbitrium republica, Sullæ et Autronio consulatus restitueretur; sed Crassum (id Tanusius adjicit,) pœnitentia vel metu diem cædi destinatum non obiisse, et idcirco ne Cæsarem quidem signum (ut togam de humero dejiceret,) dedisse. Tempus non afferens etiam cum Cn. Pisone, cui postea ob coniurationis suspicionem Hispania ultro extra ordinem data sit provincia, conjurasse scribit Cæsarem. Sed quam parum Suetonius ipse his crediderit, vel verba: „venit in suspicionem“ probant, nec Tanusii, qui Ciceronis fuit æqualis et amicus, de ejus annalibus Seneca<sup>54)</sup> hæc facit verba: „Annales Tanusii scis quam non decori sint et quid vocentur,“ magni facienda est auctoritas. Quare quum Sallustius harum rerum æqualis fuerit, ipseque de hac coniuratione quam verissime se dicturum esse affirmet, consente potissimum cum eo Cicerone, qui bis<sup>55)</sup> Pisonem et Catilinam et semel<sup>56)</sup> Catiliaam solum principem conjuratorum nominet; Suetonio duas coniurations faciente nulliusque Catilinam participem memorante, Sallustius haud dubie rectius pro una habet coniuratione, idemque et de temporum ratione et de iis, quæ tum facta aut facienda erant, verissima exhibit<sup>57)</sup>. Ita etiam Cicero (pro Sull. l. c.) cum Sallustio consentit, Catilinam cum Autronio consulatum invadere voluisse, contra Suetonium et Dionem<sup>58)</sup>, restitutionem consulatus Sullæ et Autronio propositam fuisse affirmantes. Utrum vero Cæsar et Crassus hujus coniurationis consciæ fuerint necne, quum Suetonius solus sit auctor, nec fuerit, cur celaret Sallustius, qui jam post utriusque mortem historiam scripsit, eamque quam verissime se scripturum esse profitetur; Dio autem, qui alias magnis viris maculam tam libenter inurere solet, tantum Pisonem et Catilinam cum Sulla et Autronio, consulum cædi consulatum sibi recuperare studentibus, conjurasse referat: vix quidem suspiceris. Cicerone ceterum pridie Cal. Jan. id

<sup>54)</sup> Epist. 93 fin. cf. Plut. Cœs. vit. c. 22. — <sup>55)</sup> Pro Mure, c. 38. verbis: „Omnia, quæ per hoc triennium agitata sunt jam ab eo tempore, quo a L. Catilina et Cn. Pisone initum consilium senatus interficiendi scitis esse, in hoc tempus erumpunt;“ et pro Sull. c. 24 dicens: „Scilicet is sum, qui existimem, Cn. Pisonem et Catilinam et Varguntejum et Autronium nihil scelerate, nihil andacter ipsos per sese sine P. Sulla facere potuisse.“ — <sup>56)</sup> In Cat. I, c. 6: „Potestne tibi hæc lux, Catilina, aut hujus cœli spiritus esse jucundus, quum scias, horum esse neminem, qui nesciat, te pridie Cal. Jan. Lepido et Tullo cons. stetisse. in comitio cum telo? manum consulum et principum civitatis interficiendorum causa paravisse?“ — <sup>57)</sup> Cf. Baumgarten-Crusius ad Suet. Jul. Cœs. vit. c. 9: „De tota hac coniuratione haud dubie accuratius expónit Sall. Cat. c. 18, qui Cal. Jan. prius, postea Non. Febr. cœdi destitutas fuisse dicit, sed Catilinam, ducem facinoris, ante frequentem conjuratorum conventum signum pro curia sociis dare maturasse. Cf. Cic. pro Sull. c. 4. — <sup>58)</sup> L. 36, c. 27. —

factum esse narrante <sup>59)</sup>, verius Sallustius Cal. Jan. factum esse refert, quum jam ab anno 600 u. c. Q. Fulvio et T. Annio consulibus Calendæ Jan. essent dies solennis magistratibus majoribus ineundis <sup>60)</sup>; ceterum Cicero ipse, manum consulum et principum civitatis interficiendorum caussa eos paravisse afferens, se quasi corrigere videtur. Quum vero nec Calendis Jan., nec Nonis Febr., quo die conjurati jam non consulibus modo, sed plerisque senatoribus perniciem machinabantur, quod Catilina pro curia signum sociis dare maturaverat, res eederet ex arbitrio; senatus, ne semel tamen res prospere cederet, metuens Pisonem vel principem conjuratorum, ut procul esset a republica, pro praetore questorem misit in citeriore Hispaniam <sup>61)</sup>, ubi paullo post hand dubie in ipsa provincia imperfectus est <sup>62)</sup>. Varias opiniones, a quo trucidatus sit, jam Sallustius perpendens rem in medio relinquit, unde ejus religio conspici potest, dum Dio I. c. eum ab iacolis ob injurias quasdam illis allatas vita privata esse pro certo ponit. —

Catilina vero, qui consulatum, a cuius petitione ob cauas supra <sup>63)</sup> dictas prohibitus erat, ne coniuratione quidem ista sibi parare potuit, repetundarum jam accusatus <sup>64)</sup> etiam hoc anno 688 u. c. petitionis spem nullam vidiit <sup>65)</sup>, multo minus, quum causa dilata esset in sequentem annum <sup>66)</sup>, quo, licet Cicero modo eum hand

<sup>59)</sup> In Cat. I, c. 6. Suetonius I. c. dicit: principio anni. Lange ad Sall. c. 18 haec habet verba: Cum Cicero Catilinam jam pridie Cal. Jan. in comitiis cum telo stetisse ait, oratoris modo loquitur, quo Catilina furem eo majorem depingat. — <sup>60)</sup> Cf. Kunhardt, ad Sall. Cat. c. 18; Meyer, I. c. vol. I p. 213 et Grotfend, libri: „Latein. Grammat. von Went“ (1816) vol. II, § 189 p. 244. — <sup>61)</sup> Cf. Sall. c. 19; Suet. I. c.; Dio I. 36, c. 27. — <sup>62)</sup> Hoc ex verbis et Sallustii Cat. c. 21: „Esse in Hispania citeriore Pisonem,“ patet, et Ciceronis in Ver. act. II, lib. 4, c. 25: „Is quum esset in Hispania praetor, qua in provincia occisus est,“ et Dionis I. 36, c. 27: „Οὐ ἐνταῦθα ὑπὸ τῶν ἐπιχωρίων, ἀδικοες τι αὐτοὺς, ἐσπάγη,“ non iter faciens in provinciam, ut nonnulli volunt; aliis „in provinciam“ hie idem esse dicentibus, quod intra provinciam, Muellerus et litterarum censor Sallustii a Gerlachio editi. (cf. Jahrb. d. Phil. von Jahn. 1829. X, 1, p. 50—51.) recte in provincia legunt. — <sup>63)</sup> Cf. p. 10. — <sup>64)</sup> Cic. pro Cœl. c. 4. — <sup>65)</sup> Sunt, qui quater, quatuor quidem annis se excipientibus 687, 88, 89, 90, eum consulatus petitionis repulsam tulisse putent; alii ter et quidem aut annis 688, 89, 90; aut 687, 89, 90; alii denique bis 689 et 90, idemque soli vere. Nam ex provincia Africa reversus consulatum quidem petere voluit, sed, ut jam dictum est, a petitione prohibitus repulsam ferre non potuit; sequenti vero anno 688 eum repetundarum accusatum cauas dicere coactum fuisse, Ciceronis probant verba pro Cœl. c. 4: „Africam prætor Catilina obtinebat; secutus est annus; cauas de pecuniis repetundis dixit; deinceps fuit annus, quo ego consulatum petivi; petebat Catilina mecum.“ Ea vero causa dilata est in sequentem annum, quod Cicero arguit ep. ad Att. I. II, 2, Cœs. et Fig. consulibus 689 scripta: „Hoc tempore Catilinam, competitorem nostrum, defendere cogitamus; spero, si absolutus erit, conjunctiorem nobis fore in ratione petitionis“, et pro Cœl. c. 6: Me ipsum quondam pene ille decepit, cum et civis milii bonus et optimi cuiusque cupidus et firmus amicus ac fidelis videretur; cuius ego facinora oculis prius, quam

dubie dominatum iri dixisset <sup>67)</sup>, modo ipse tum eum defensurus esset <sup>68)</sup>, accusatore P. Cludio pecunia corrupto <sup>69)</sup>, a Torquato defensus <sup>70)</sup>, tandem absolutus est <sup>71)</sup>, nec non statim consulatum petuit. Quem, immoderata ductus imperii cupiditate, ut certius acciperet, socios sibi quam plurimos, quorum auxilio tandem consul crearetur, jam antea quacunque ratione conciliare studuit; quod in tam corrupta civitate factu facilissimum erat. Juventutem igitur multis modis sibi conciliavit; præterea multos cives, aere alieno pressos <sup>72)</sup>, qui nihil, nisi spem multo asperiore exspectabant, plerosque Sullanos milites, qui, largius suo usi, rapinarum et victorie veteris memores civile bellum quam maxime exoptabant, quin etiam multos senatores et equites sibi facile adjunxit <sup>73)</sup>, cujus sociorum præstantissimos Sallustius memorie reliquit <sup>74)</sup>. Erant præterea plures nobiles hujus consilii occultius participes, ut Crassus, quem Plutar-

opinione, manibus ante, quam suspicione deprehendi. Dicta jam causa, una cum Cicerone petit consulatum anno 689, ut Ciceron pro Cœl. c. 4: „Cœlio adolescenti scitis consulatum mecum petisse Catilinam;“ pro Mur. c. 8: „Etenim mihi ipsi accidit, ut cum duobus patriciis, altero improbissimo atque audacissimo, altero modestissimo atque optimo viro peterem; superavit tamen dignitate Catilinam, gratia Galbam;“ et Sallustius c. 21: „Antonium sibi collegam fore consulatus speravit;“ testantur; sed repulsam tulit, ut Cicero pro Mur. I. c. refert et Sall. c. 23 et 24. Ciceron et Antonio consulibus 690 u. c. iterum petuit; cf. Cic. pro Cœl. c. 5: „Tot igitur annos versatus in foro sine suspicione studuit Catilinæ iterum petenti,“ et Sall. c. 26: His rebus comparatis Catilinam nihilominus in proximum annum consulatum petebat. Bis igitur tantum consulatum vere petens bis repulsam tulit, ut Livius ep. CII med.: „L. Catilina bis repulsam in petitione consulatus passus est.“ dicit. Hac de re legas Cœtum ad Sall. c. 18, Corradum de quæstura p. 226 et Bosium ad Cic. ep. ad Att. I. I. — <sup>66)</sup> Cf. adnot. 65. — <sup>67)</sup> Ad Att. I. I. ep. 1 init. (688 u. c. script.): „Catilina, si judicatum erit, meridie non lucere, certus erit competitor.“ Cf. Wieland, ad hunc locum vol. I p. 249 sq. — <sup>68)</sup> Ad Att. I. 2. cf. adnot. 65. — <sup>69)</sup> Cic. orat. de harusp. resp. c. 20: „A Catilina pecuniam accepit, ut turpissime prævaricaretur.“ — <sup>70)</sup> Cic. pro Sall. c. 29: „Adfuerunt Catilinæ. Nulla tum patet rebis coniuratio; defendebant amicum, aderant supplici, vite ejus turpitudinem in summis ejus periculis non insequebantur. Quin etiam parentes tuus, Torquate, consul reo de pecuniis repetundis Catilinæ fuit adlocutus; improbo homini, at supplici. Cui quum adfuit post delatam ad eum priam illam coniurationem, indicavit, se audiisse aliquid, nou credidisse.“ — <sup>71)</sup> Cic. in Pis. c. 39: „At bis Catilina absolutus;“ quod idem dicit ad Att. I. 16, ubi Manutius eum ter absolutum esse docet: de incestu, de repetundis, inter sicarios. Cf. Cicero in Cat. I, c. 7, § 18: „Tibi uni multorum civium neces, tibi vexatio direptioque sociorum impunita fuit ac libera.“ Asconius ad or. in tog. cand. Catilinam absolutum esse dicit infamia judicium, cf. Matth. ad Cic. in Cat. § 18. — <sup>72)</sup> Cf. Sall. Cat. c. 16 et Cic. de offic. I. II, c. 24: Nunquam vehementius actum est, quam me consule, ne solveretur. Nunquam nec magis aës alienum fuit, nec melius, nec facilius dissolutum est. Cf. Cic. in Cat. II, c. 2, § 4; 3, 5; 4, 8; 8, 18; 9, 19; 10, 21. — <sup>73)</sup> De ratione, qua Catilina ipse pessimus quemque sibi conciliare scivit, lege Sallustium c. 14 et 16; Ciceronem in Cat. I, c. 6; II, 4; c. 8—11; III, 7; pro Cœl. c. 5; Plutarchum Cic. vit. c. 10 et 14; Appianum I, c. II, 2. — <sup>74)</sup> C. 17, cf. interpp; Muretus ad Cic. in Cat. I, 1; Wielandus Cic. ep. vol. I p. 72—74. —

chus 75) litteras, quibuscum, ut suspicionem tolleret, extemplo ad Ciceronem consulem properaverit, a Catilina accepisse scribit; quin etiam fuit L. Tarquinius quidam, qui ad Catilinam proficisciens ex itinere retractus ad senatumque ductus inter alios M. Crassum conjuratis adnumeravit, quod ob potentiam et nobilitatem viri nemo credit 76). Minus etiam liber a suspicione conjurationis societatis fuit J. Cæsar, qui quidem, Sallustio teste 77), ut per Allobrogos aut alium indicem falso nominaretur, quem Q. Catulus (cf. adnot. 75) et C. Piso neque gratia, neque precibus, neque pretio Ciceronem impellere possent, ipsi singulatim circumveundo atque ementiendo, quæ se ex Volturcio aut Allobrogibus audisse dicerent, magnam illi conflaverunt invidiam; sed Suetonius 78) „recidit, inquit, Cæsar rursus in discrimen aliud, inter socios Catilinæ nominatus, et apud Novium Nigrum quæstorem a L. Vettio et in senatu a Q. Curio. Quod Cæsar nullo modo tolerandum existimans, cum, implorato Ciceronis testimonio, quædam se de conjuratione ulro ad eum detulisse docuisse, ne Curio præmia darentur, effecit.“ Quod ceterum in dicendis sententiis de conjuratis solus fere morte mulctandos esse vetuit, ipse hanc suspicionem auxit 79). Nec Antonius, qui tum una cum Cicerone fuit consul, istius conjurationis fuit inscius, ut Catilina gloriata et Plutarchus refert 80); sed quem Cicero postea ei Macedoniam daret provinciam administrandam 81), incerta certis postposuit, nec, conjuratione detecta, Ciceroni defuit in ea opprimente, sed exercitum duxit in Catilinam 82).

Postquam ita Catilina satis multos sibi conjunctissimos, eorumque, quæ voluit, gnoscos cognovit, post Cal. Jun. 689. u. c. 83), haud dubie in M. Læcæ senatoris domum 84)

<sup>75)</sup> Cic. vit. c. 15; qua ex re sola nihil fere colligi potest, quum etiam Catullum illum, qui Ciceronem postea patrem patrie nominavit, (cf. de eo Cic. in Pis. c. 3; pro leg. Man. c. 20; Vellej. II, 32 et 40.) a Catilina litteras accepisse videoas (cf. Sall. c. 35), quem nemo conjuratis adnumeraverit. Catilina enim tentasse videtur, utrum lac ratione sibi aliquem adjungeret; ceterum Lentulus multos innoxios nominavit secundum Sall. c. 40 fin. Cf. Meissn. ad Sall. c. 48 fin. — <sup>76)</sup> Cf. Sall. c. 17 et 48 ibique Meissn.; idem Plutarchus Crass. vit. c. 13 et Dio I. 37, c. 35 narrant, illum delatore non nominantes; præterea cf. Plut. Cic. vit. c. 15. — <sup>77)</sup> C. 49 cf. ibi Meissn., Lang. et Kunh. — <sup>78)</sup> Jul. Cæs. vit. c. 17. — <sup>79)</sup> Cf. etiam Plut. Cæs. vit. c. 7 et 8; Cic. vit. c. 20; Cat. min. vit. c. 26 et Appian. bell. civ. I. II, c. 6. — <sup>80)</sup> Cf. Sall. c. 21. ibique Meissn. et Kunh.; Cic. pro Mar. c. 24; Wieland. Cic. ep. vol. I, p. 57; Plut. Cic. vit. c. II: „Οἱ Κατιλίνας ὑπάτευν μετέπειν καὶ λαμπρὸς ἦν ταῖς ἔπιστι, ὡς Ιαΐω Λαγονίῳ συνυπατεύων.“ <sup>81)</sup> Cf. Sall. c. 26; Cic. in Pis. c. 2; ad fam. I. V, ep. 2 § 6; Plut. Cic. c. 12; Dio I. 37, c. 33. — <sup>82)</sup> Cf. Sall. c. 36 med., c. 56 et 59; quo ultimo loco Antonius pedibus æger Petrejo legato exercitum permisisse narratur; Dio vero I. 37, c. 36 suspicatur, Antonium humo morbum simulasse, ne Catilina probris incesseret, quem socium conjurationis aliquando habuisset. — <sup>83)</sup> Sall. c. 17. — <sup>84)</sup> Cf. Gronov. (ed. 1677) et Meissn. ad Sall. c. 20. —

convocatos oratione, cui similem 85) Sallustius memoriae reliquit 86), habita, quam maxime potuit, inflammare studuit. Qui cum, quid inde haberent commodi, tum postularent, Catilina aliis alia pollicitus 87), ut pignus quasi haberet fidei, humani corporis sanguinem vino permixtum in pateris circumulisse et post exsecrationem omnibus degustandum dedisse 88), tum cohortatus eos, ut petitionem suam curæ haberent, dimisso dicitur 89). Iterum 90) hic Sallustii hæc dubitanter narrantis religio cognosci potest, dum Florus 91) et Plutarchus 92) id negligenter, ut scalent, pro certo ponunt; immo Dionem 93), puerum a conjuratis mactatum superque ejus viscera jusjurandum conceptum esse, et Lactantium 94), plenum humani sanguinis poeulum circumlatum et sic ab omnibus contra salutem patriæ degustatum esse, non fugit. Hanc conjurationem Fulvia quædam 95) dolose ab amatore Q. Curio 96) conjurato elicuit, quam civitati pro periculosiore habens, quam ut occultam habere posset, sublato auctore, compluribus narravit. Cujus rei rumor occultus mox per urbem sparsus homines timore inerto percusso quam maxime inflammatum ad consulatum mandandum Ciceroni 97), quem, licet sex habuisset competitores 98), habitis comitiis, universus populus romanus post multos annos primum hominem novum prima petitione et legitimo anno una voce con-

<sup>85)</sup> Cf. Meissn. et Kunh. ad Sall. c. 20. — <sup>86)</sup> C. 20. Nonnullis eandem orationem etiam Ciceronem pro Mur. c. 25 respicere dicentibus, Broukhusius solus recte rem aliter se habere contendit; nam licet Ciceronis verba orationi, quam Catilina primam habuerit, sint similia, tamen ex prioribus et sequentibus, orationem Cicerone consule habitam, de qua p. 17. sermo erit, intelligi, facile cognoscere. — <sup>87)</sup> Sall. c. 21. — <sup>88)</sup> Sall. c. 22. — <sup>89)</sup> Sall. c. 21. — <sup>90)</sup> Cf. p. 12. — <sup>91)</sup> L. IV, c. 1, § 4: Additum est pignus conjurationis, sanguis humanus, quem circumlatum pateris bibere; sumnum nefas, nisi amplius esset, propter quod biberunt. — <sup>92)</sup> Vit. Cic. c. 10: Τοῦτον οὐν προστάτην οἱ πονηροὶ λαβόντες ὀλλας τε πιστεις ἀλλήλοις ἔδοσαν, καὶ καταθύσαντες ἀνθρώπουν, ἐγεύσαντο τῶν σαρκῶν. — <sup>93)</sup> L. 37 p. 48. — <sup>94)</sup> Ad Statii Theb. I. V, v. 159 sq. — <sup>95)</sup> A Floro appellatur (l. IV, c. 1.) vilissimum scortum, sed parricidii innocens; a Plutarcho (Cic. vit. c. 16 init.) γυνῆ τῶν ἐπιφανῶν ab Appiano (bell. civ. I. II, c. 3.) γυναιοὶ οὐκ ἀφανὲς et Sallustius c. 23. „Erat, inquit, Curio cum Fulvia, muliere nobis, stupri vetus consuetudo;“ ceterum nota non est. — <sup>96)</sup> Cf. interpretes ad Sall. c. 17, maxime Meissn. et Lang. — <sup>97)</sup> Sall. c. 23. — <sup>98)</sup> Duos patricios, P. Sulpicium Galbam, L. Sergium Catilinam, de quibus Ciceronem lege or. pro Cœl. c. 4 et pro Mur. c. 8. (cf. p. 12 adnot. 65.) et quatuor plebejos, eosdemque duos nobiles C. Antonium et L. Cassium Longinum et duos, qui tantum non primi ex familia suis magistratum adepti erant, Q. Cornificium et C. Licinium Sacerdotem. Inter quos plurimum poterant Catilina et Antonius. Coierant enim ambo, ut Ciceronem consulatu dejicerent. Quare Cicero, quod, quum in dies licentia ambitus augeretur propter utriusque audaciam, censuerat senatus, ut lex ambitus aucta etiam cum pena ferretur, in senatu paucos ante comitia dies iu utrumque habuit orationem in toga candida, cujus Asconii argumentum, quod vide, et fragmentum exstat. Hæc omisit Sallustius. —

salem declaravit <sup>99)</sup> in annum 690 u. c.; alter consul factus est C. Antonius <sup>100)</sup>. Quamvis vero Catilinam, quod, ut repulsam ferret <sup>1)</sup>, præter exspectationem acciderat, non parvus concussisset horror, multum tamen absuit, ut ab honore, quem toties jam sibi eruptum viderat, eujusque assequendi ne spes quidem supererat, absisteret, ut plurium etiam amicorum sociorumque sibi adjunctorum auxilio proximis comitiis haud dubie se consulem creatum iri putaret; immo, si tum quoque spes cum falleret, trucidato inter ipsa comitia Cicerone, designatis consulibus iisque quos planuisset, civitatis pro arbitrio constituendæ cepit consilium. Qua de causa etiam arma per Italiam locis opportunis paravit, copiasque exstruxit, quibus Manlius quidam <sup>2)</sup>, eastris prope Fæsulas, urbem Etruriæ ad Apennini radices sitam, positis, præfuit ad bellum gerendum <sup>3)</sup>. Cicero autem, quem, quæ tempestas consulatu suo impendere, non fugit <sup>4)</sup>, jam principio consulatus multa pollicendo per Fulviam <sup>5)</sup> effecit, ut Curius <sup>6)</sup> omnia Catilinæ consilia sibi statim proderet <sup>7)</sup>. Interea Catilina plurimis sociis amicisque fretus consulatum iterum petiit <sup>8)</sup>, eoque tempore eum videbant alacrem atque lætum, stipatum choro juventutis, vallatum indicibus atque sicariis, inflatum tum spe militum; tum collegæ Ciceronis, quemadmodum dicebat ipse, promissis, circumfluentem colonorum Arretinorum et Fæsulanorum exercitu. Vultus erat ipsius plenus furoris, oculi sceleris, sermo arrogantiæ, sic ut ei jam exploratus et domi conditus consulatus videretur <sup>9)</sup>. Quum vero Cicero calpurnia de ambitu legi <sup>10)</sup> acerbiorem addidisset pœnam, exsilium decem annorum <sup>11)</sup>, Catilina, ad se hoc pertinere sciens et frustra se comitiis consularibus consulatum petitum esse intelligens, iræ plenus Ciceronem et competitores suos ipso comitiorum die <sup>12)</sup> trucidare constituit. Quam rea Cicero, per Fulviam a Curione de ea certior factus, ad senatum retulit a. d. XIII

<sup>99)</sup> Sall. c. 24, qui tamen justo brevius hanc rem absolvit; Plut. Cic. vit. c. 11; App. b. civ. I. II. c. 2; Cic. or. in Pis. c. 1 et 2; or. de leg. agr. contra Rullum II, c. 1 et 2; pro Mur. c. 8; cf. p. 4. — <sup>100)</sup> De Antonio leg. p. 14 dicta. — <sup>1)</sup> Cf. p. 12 adnot. 65. — <sup>2)</sup> Cf. Sall. c. 24 ibique interpp.; c. 27, 30, 32; Cic. or. in Cat. I, c. 2; II, c. 9; Plut. Cic. vit. c. 14; App. b. civ. I. II, c. 2 fin. — <sup>3)</sup> Cf. Sall. c. 24 — 26. — <sup>4)</sup> De hac re Cicero queritur or. I in Rullum c. 8 et II, c. 3 et 4. — <sup>5)</sup> Cf. p. 15 adnot. 95. — <sup>6)</sup> Cf. p. 15 adnot. 96. — <sup>7)</sup> Sall. c. 26. Cicero vero, pluries sua diligentia et cura totam istam conjurationem detectam et oppressam esse gloriens, nullibique hujus Fulviae faciens mentionem, non recte fecit. Legas velim, quæ Wielandus Cic. ep. vol. I, p. 68 — 70 hac de re dicit. — <sup>8)</sup> Sall. c. 26; Cic. pro Cœl. c. 5; cf. p. 15 adnot. 65 fin. — <sup>9)</sup> Cic. pro Mur. c. 24. Sallustius hoc omisit. — <sup>10)</sup> Cf. Cic. pro Mur. c. 23 et 32; Dio Cassius I. 36, p. 18; Ernestius clav. Cic. voce Calpurnia. — <sup>11)</sup> Cic. pro Mur. c. 32 sq. c. 41; in Vatin. c. 15; pro Sext. c. 64; Dio I. 37, p. 42 et Ernest. clav. Cic. voc. Tullia, Sallustius hoc quoque omisit. — <sup>12)</sup> Sall. c. 26 hæc justo brevius memorat. Cf. Cic. pro Mur. c. 26; in Cat. I, c. 5; pro Sull. c. 18; Plut. Cic. vit. c. 14. —

Cat. Novemb. et senatusconsultum perfecit, ne postero die comitia, ut indicta erant, haberentur, ut de his rebus in senatu agi posset <sup>13)</sup>. Postridie igitur, XII Cal. Nov., frequenti senatu Catilinam excitavit atque eum de his rebus, quæ ad se allatae essent, jussit, si quid vellet, dicere. Atque ille, ut semper fuit apertissimus, non se purgavit, sed indicavit atque induit; tum enim dixit duo corpora esse reipublicæ, unum debile, infirmo capite, alterum firmum, sine capite; huic, quam ita de se meritum es- set, caput se vivo non defuturum <sup>14)</sup>. Quod Plutarchus narranti <sup>15)</sup>, sed Catilinam illi debili corpori firmum fuisse caput dixisse exhibenti, minus credas, quod Cicero tum adfuit, Plutarchi vero nota est mutandarum rerum ab aliis sumtarum cupiditas. Quare non est, quod cum Wielando ob ineptam illam, quæ in Catilinæ insit responso a Cicero servato, rusticitatem aut Plutarcho fidem habendam esse dicas, aut Catilinam firmo quidem capite dixisse, Ciceronem autem infirmo intellectuisse censeas <sup>16)</sup>. Haud dubie eodem die etiam illud senatusconsultum factum est: „Darent operam con-sules, ne quid res publica detrimenti caperet;“ ut Sallustius <sup>17)</sup>, post illam noctem, quæ consecuta est posterum diem Nonarum Novemb. (cf. Cic. pro Sull. c. 18.), qua apud Læcam convenerant conjurati, post comitia habita Cicerone referente id senatusconsul-tum factum esse dicenti, minus fidei habeas, quam Ciceroni, qui or. I in Cat., VI ante Id. Novemb., habita, hoc respiciens, „habemus, inquit, senatusconsultum in te, Catilina, vehemens et grave; non deest reipublicæ consilium — nos, nos, dico aper-te, consules desumus. Nos vicesimum jam diem patimur habescere aciem horum aucto-

<sup>13)</sup> Mecum consentiunt Matthiæus in argomento Cic. or. I in Cat. præposito; Meissnerus ad Sall. c. 26, p. 86, a; Buechlingius Sall. præf. p. 4; Wielandus I. c. p. 70. Quomodo vero Cicero, (or. pro Mur. c. 25,) orationis in concione domesticæ VIII Id. Nov. (or. in Cat. I, c. 4.) habite argumento allato, pergere potuerit: „Tum igitur, his auditis, meministis fieri senatusconsultum, referente me, ne postero die comitia haberentur;“ plane non intelligo; multo minus vero ea oratio esse potest priore anno habita, ut satis ostendisse mihi videor adnot. <sup>14)</sup> Præter has duas autem nulla oratio a Catilina ad socios habita nota est. Muellerus ea, quæ Sallustius c. 29 narrat, XII Cal. Novb. factum esse recte dicens, ad hunc locum conferre jubet Ciceronem or. pro Mur. c. 25, quæ verba pertineant ad orationem a Catilina in concione dome-stica paullo ante habitam, quam Sallustius præterierit. Supra dicta vere omisit Sallustius. — <sup>15)</sup> Cic. pro Mur. c. 25. — <sup>16)</sup> Cic. vit. c. 14: „Τι γάρ, ἔφη, πράττω δανόν, εἰ, ονοῦ σωμάτων ὄντων, τοῦ μὲν ἰσχυροῦ καὶ κατεφύγυσκότος, ἔχοντος δὲ κεφαλὴν, τοῦ δὲ ἀκεφάλου μὲν, ἰσχυροῦ δὲ καὶ μεγάλου, τούτῳ κεφαλὴν αὐτῷ ἐπιίθημι;“ — <sup>17)</sup> Libri laud. p. 71. Quum enim Catilina certo satis clara voce locutus sit, nec Ciceronem non bene audientibus usum esse auribus constet, quin tali conjectura sententiam sanam in Plutarchi gratiam emendaturus sis, magnopere dubito. Quod vero Sallustius nec de senatus conventu, nec de illa Catilinæ respon-sione coram senatu data ne verbum quidem facit, solas insidias consuli in campo structas memo-rans c. 26, fortasse excusari potest, quod Cicero hanc rem jam tam copiose narraverat; sed ob hoc nullo modo jam ei licuit rei minime omittendæ nullam facere mentionem. — <sup>18)</sup> C. 29. —

ritatis<sup>18)</sup>. Qua re Plutarchus<sup>19)</sup> illud senatusconsultum, quum Crassus, Marcellus et Metellus, comitiis jam habitis, litteras a Catilina sibi missas ad Ciceronem tulissent, factum esse referens errat. Eodem denique die, XII Cal. Nov., Cicero<sup>20)</sup> C. Manlium VI Cal. Nov. in armis fore, (nec res, nec dies eum fefeller<sup>21)</sup>), Catilinamque cædem optimatum contulisse in ante diem V Cal. Nov. in senatu dixit, quam ob rem multi principes civitatis Roma profugerunt. —

Comitiis consularibus V Cal. Nov. habitis<sup>22)</sup>, quibus Cicero, quod homines jam tum conjuratos cum gladiis in campum deduci a Catilina sciret<sup>23)</sup>, multorum amicorum præsidio tectus et cum lata lorica adfuit<sup>24)</sup>, ne Catilina consilium suum perficere posset, D. Junius Silanus et L. Licinius Murena consules sunt designati<sup>25)</sup>. Ob quain repulsam iterum latam<sup>26)</sup> Catilina, magnopere iratus, bellum gerere et extrema omnia experiri constituit. Quare Manlio<sup>27)</sup>, qui, ut in comitiis eum in consulatus petitione sustentaret, Romam venerat, Fæsulas ad arma capienda dimisso, Septimio in agrum Picenum, C. Julio in Apuliam, aliisque alio, ipse Romæ multa moliebatur, dies noctesque festinabat, vigilabat, neque insomniis neque labore fatigabatur<sup>28)</sup>. Quum vero haud dubie die post comitia habita<sup>29)</sup> de vi et armatis hominibus lege Plotia accusatus esset<sup>30)</sup>, quod a Lepido, Cicerone et Metello repudiatus est, M. Marcello in liberam custodiam se tradidisse videtur<sup>31)</sup>. Calendis vero ipsis Novembribus Prænestine, Latii oppidum, occupatus erat, sed id Ciceronis præsidii et custodiis munitum invenit<sup>32)</sup>; cui rei similem legas Ciceronem de Capua narrantem<sup>33)</sup>. Quum jam multa agitant

<sup>18)</sup> Cic. or. I in Cat. c. 1 fin. et c. 2 init. Ad hæc Ciceronis verba Asconius ad or. in Pis. c. 2. revera non vicesimum quidem, sed duodevicesimum fuisse diem dicit; ita Muretus, Mœbius et Matthiæ ad Cic. or. in Cat. locum. Eo vero die, XII Cal. Nov., illud senatusconsultum factum esse affirmant Meissnerus ad Sall. c. 26 p. 86, a; Lange et Muellerus ad Sall. c. 29; Buechlingius ad Sall. pref. p. 4 et Wielandus I. c. p. 72. — <sup>19)</sup> Cic. vit. c. 15. — <sup>20)</sup> Or. in Cat. I. c. 3. — <sup>21)</sup> Cum Cicerone consentit Sall. c. 30. — <sup>22)</sup> Miro quodam modo viri docti in comitiorum die secum non consentiunt. Buechlingius I. c. p. 6 fin. et Lange ad Sall. c. 26 XII Cal. Nov. (die 21. Oct.); Mœbius ad Cic. or. in Cat. I. c. 3 VI Cal. Nov. (27. Oct.); Muretus ad eundem locum et Matthiæ argum. or. I in Cat. præposito et Muellerus ad Sall. c. 26 V Cal. Nov. (28. Oct.) comitia illa habita esse dicunt, iisque recte secundum Ciceronem id clare dicentem I. c. Sallustius vero, Meissnerus, Wielandus et Kunhardtus diem plane non constituunt. — <sup>23)</sup> Cf. p. 16 fin. — <sup>24)</sup> Cf. Cic. or. in Cat. I. c. 3, § 7; c. 5, § 11; pro Mur. c. 26; pro Sall. c. 18; Plut. Cic. vit. c. 14. — <sup>25)</sup> Plut. Cic. c. 14 fin. — <sup>26)</sup> Cf. adnot. 65. — <sup>27)</sup> Cf. adnot. 102. — <sup>28)</sup> Sall. c. 27. — <sup>29)</sup> Consentit Lange ad Sall. c. 26 adnot. 13 et ad c. 31 adnot. 11. Alii diem omnino non constituunt. — <sup>30)</sup> Sall. c. 31 med. ibique interpp. et Ernestius lex. Cie. voce Plotia. — <sup>31)</sup> Cic. or. in Cat. I. c. 8, § 19 et Dio Cass. I. 37, c. 32. De tali libera custodia lege Wasse ad Sall. Cat. c. 48 et Lipsium ad Tacit. ann. VI, 3. — <sup>32)</sup> Cic. or. in Cat. I. c. 3 fin. Sallustius, ut plura, hoc quoque omisit. Cf. Meissn. ad Sall. c. 26 fin. a et Lange, ad Sall. c. 27 adnot. 1. — <sup>33)</sup> Or. pro Sext. c. 4. —

nihil processisset, VIII a. Id. Nov. nocte principibus conjurationis apud Læcam convocatis, multum de ignavia eorum questus omnia ad bellum gerendum dixit esse parata, seque, modo Cicero sit oppressus, ad Manlium esse iturum<sup>34)</sup>. Eadem nocte (cf. Cic. or. pro Sull. c. 18.) etiam aliae partes aliis sunt distributæ (cf. p. 9.), quæ consilia serius perficienda erant<sup>35)</sup>, contra quæ Cicero optimis institutis vigilavit. Qui illi, Ciceronem mane specie quidem salutaturi<sup>36)</sup>, re vera autem in lecto interflecturi, fuerint, quod spectat et ad nomen et ad ordinem, auctores id referentes magnopere dissentient. Plutarchus<sup>37)</sup> Marcium et Cethegum huic rei se obstrinxisse refert, Appianus<sup>38)</sup> vero Lentulum et Cethegum, urbanos illius anni prætores (bell. civ. II, 2.), hoc munus post Catilinæ quidem Roma egressum sibi poposcisse scribit; quem utrumque sepe errare constat<sup>39)</sup>. Quare Sallustio hadenda est fides, C. Cornelium equitem et L. Varguntejum senatorem huic operam pollicitos esse exhibenti<sup>40)</sup>, nulla addita suspicione, quam semper, si dissensio et discrepancia aliqua jam tum erat, aperte afferit<sup>41)</sup>. Cicero quidem duos equites ad hoc repertos esse dicit, quo loco ei duos nobiles Romanos ad tantum facinus operam suam pollicitos esse indicare sufficit, quare ne nomina quidem attulit<sup>42)</sup>; sed C. Cornelium unum eorum fuisse bis dicit<sup>43)</sup>. Quos, conventu isto vix dimisso per Fulviam hac de re certior factus, quum hora, quæ inter eos convenerat, salutatum venissent, domo prohibuit<sup>44)</sup>. Quod tempus rebus a Sallustio cap. 30 narratis, ut illis portentis et prodigiis<sup>45)</sup>, præmio de conjuratione aliquid indicant<sup>46)</sup> reliquaque constituendum sit, haud scio. VI Id. Nov. Cicero, quum senatui in ædem Jovis Statoris convocato<sup>47)</sup> illius noctis consilia patefacturus præter exspectationem Catilinam præsentem conspexisset, seu timens, ne novas in-

<sup>34)</sup> Sall. c. 27; Cic. I in Cat. c. 4; pro Sull. c. 18. — <sup>35)</sup> Sall. c. 43 ibique Kunhardt. et Lange. Cic. in Cat. III, c. 4 fin. Plut. Cic. c. 18. — <sup>36)</sup> De hoc more lege Cic. ad Att. I ep. 18; ad fam. VII, 28; IX, 20 et Kunh. ad Sall. c. 28. — <sup>37)</sup> Cic. vit. c. 16. — <sup>38)</sup> Bell. civ. I. II, c. 3. — <sup>39)</sup> Quod Cethegum unum eorum nominant, ex secundi in Ciceronis januam faciendi impetus, quem Sall. c. 43, memorat, confusione error ortus esse videtur. — <sup>40)</sup> Cat. c. 28. — <sup>41)</sup> Hoc fecit c. 19 et c. 22. cf. p. 12 et 15. — <sup>42)</sup> Or. in Cat. I. c. 4 fin. — <sup>43)</sup> Or. pro Sull. c. 6: Veniebat ad me Autronius supplex, ut se defendarem. Quibus ego rebus ita flercebar animo atque frangebar, ut jam immissum esse ab eo C. Cornelium, qui me in sedibus meis, in conspectu uxoris meæ ac liberorum meorum trucidaret, obliviscerer. Et ibidem c. 18: Tunc tuus pater, Cornelii, illam sibi officiosam provinciam depoposcerit, ut, cum prima luce consulem salutatum veniret, intromissus meo more et jure amicitiae, me in meo lectulo trucidaret. Cf. c. 2. — <sup>44)</sup> Sall. c. 28; Cic. in Cat. I. c. 4 et Plut. Cic. vit. c. 16. — <sup>45)</sup> Cic. or. in Cat. III, c. 8 ibique Matth.; de divin. I. I, c. 11; Dio Cass. I. 37, c. 25; Plut. Cic. vit. c. 14. — <sup>46)</sup> Lege præter Sallustium c. 30 et 36 fin. Suetoniam Jul. Cæs. vit. c. 17. — <sup>47)</sup> Hic illo die convocatum fuisse senatum videoas ex. Cic. or. in Cat. I. c. 4; II, c. 6; pro Sull. c. 18; Plut. Cic. vit. c. 16. —

tidias sibi structurus venisset, seu ira commotus primam habuit, quae dicitur, in Catilinam orationem<sup>48)</sup>, qua ei, quod omnia ejus consilia detecta luceque clariora videret, ut in Manliana castra cum omnibus sociis profectus bellum jam dudum reipublicæ paratum inciperet, suscit. At Catilina vel defendere se ausus consulem adeo maledictis pupugit, sed parricida et hostis civitatis appellatus furibundus verbis: „Quoniam quidem circumventus ab inimicis præceps agor, incendium meum ruina restinguam,“ ex æde domum se proripuit<sup>49)</sup>.

Eiusdem dici nocte, quod nullum incepsum prospere cedere vidit, prætereaque urbem ab incendio vigiliis munitam esse intellectum<sup>50)</sup>, ut exercitum suum augeret, Roma relicta, se propediem cum magno exercitu ad urbem accessurum esse affirmans, cum paucis in Manliana profectus est castra<sup>51)</sup>, ad quæ quidam ipsa, paucos dies commoratus apud C. Flaminium Flaminam in agro Arretino, dum vicinitatem, antea jam sollicitatam, armis exornat, cum fascibus atque aliis imperii insignibus contendit<sup>2).</sup> Catilina vero vix egresso, socii Romæ multum sparserunt ramorem, eum vehementiore consulis oratione commotum Massiliam petuisse exulum<sup>53)</sup>, cuius falsi rumoris remo-

<sup>48)</sup> Sall. c. 31; Flor. I. IV, c. 1, § 7; Cic. ad Att. I. II, ep. 1: Septima, qua Catilinam emisi. — <sup>49)</sup> Ita hanc rem narrat Sallustius c. 31 et 32 init., quocum consentiunt Florus I. IV, c. 1, verbis: „Tum consul, habito senatu, in praesentem reum Cicero peroravit; sed non amplius profectum, quam ut hostis evaderet, seque, palam professo, incendium suum restinctum ruina minaretur;“ et Valer. Max. I. IX, c. 11, 3: „L. vero Catilina, in senatu M. Cicerone incendium ab ipso excitatum dicente, sentio, inquit, et quidem illud si aqua non potuero, ruina extingua;“ præterea Buechlingius pref. Sall. edit. p. 8 et 9; Wielandus Cic. epist. vol. I p. 76 et 77; Moebius argum. II Cic. or. in Cat. præpos. init.; Matthiae argum. I Cic. or. in Cat. fin.; Nobbe argum. I or. in Cat. edit. Cic. operum uno vol. compreh. — Cicero vero or. pro Mur. c. 25 Catilinam in senatu paucis diebus ante comitium consularia Catoni judicium minitanti ac denunciante, „si quod esset in suas fortunas incendium excitatum, id se non aqua, sed ruina restinctum,“ respondisse refert. Cum Cicerone congruant Meissn. ad Sall. c. 32 fin.; Lange ad Sall. c. 31 fin.; Kunhardt. ad Sall. c. 32 init.; Muretus pref. ad I or. in Cat. et Duckerus ad Flori locum. Corte vero et Wasse (ad Sall. loc.) idem, sed non sidem quidem verbis, Catilinam bis dixisse patant, quum, ut ex Cic. or. pro Flacc. c. 38 pateat, haec taliaque vulgo jactasse videantur conjuratorum principes. Nihil saltem Catilinam, parricidam palam in senatu vocatum, respondentem ex æde se proripuisse, verisimile non est. — <sup>50)</sup> Sall. c. 30 fin., c. 32; Cic. or. in Cat. I, c. 1. — <sup>51)</sup> Sall. c. 32; Cic. or. in Cat. II, c. 4 § 6; c. 6 § 14. Plutarchus Cic. vit. c. 16 Catilinam cum trecentis egressum esse scribit. Paucos vero eum secum eduxisse multi Ciceronis loci probant, qui or. in Cat. II, c. 2 § 4: Illud etiam, inquit, moleste fero, quod ex urbe parum comitatus exierit. Cf. c. 3 § 5 et c. 5 § 11; or. pro Mur. c. 37 dicit: „Intus, intus, inquam, est eques Trojanus.“ Cf. c. 39 fin. — <sup>52)</sup> Sall. c. 36. Cf. Plut. Cic. vit. c. 16; Appian. bell. civ. I. II c. 3; Dio Cass. I. 37, c. 33; Cic. or. in Cat. I, c. 9 § 21; II, c. 6 § 13. — <sup>53)</sup> Sall. c. 31; Cic. or. in Cat. II, c. 6—8. Cur eum Roma exire passus sit, legas c. 2 et Wielandus Cic. epist. vol. I, p. 78—80. —

vendi causa Cicero ante populum habere orationem utile fore ratus, optimam sibi simul oblatam esse vidit occasionem, qua totius coniurationis, omnibus bonis totique urbi vel periculosissimæ, cum certiore faceret, eo magis, quum pernauitos vel nobiles adhuc esse sciret, qui rem pro magnitudine non crederent. Quare secundam<sup>54)</sup>, quam dicunt, in Catilinam V Idus Novem.<sup>55)</sup> habuit orationem. Re vero cognita, istum in Manliana vere se contulisse castra, senatus, Catilina et Manlio hostibus judicatis, Antonium cum exercitu Catilinam persecuti, Ciceronem vero urbi præsidio esse jussit<sup>56)</sup>. Interea Romæ Lentulus, unus principum coniuratorum, quod inter eos convenerat, parare novosque socios sollicitare quam maxime studuit<sup>57)</sup>, ut, cum Allobrogum legati, magistratus repetundarum accusaturi, forte Romæ essent, horum ad suas partes tractorum auxilio Galliæ quoque Narbonensi coniurationi adjungendæ operam quam maximam daret<sup>58)</sup>. Sed illi, diu quidem animo incerti, quod caperent consilium, tamen Q. Fabio Sangæ, patrono civitatis suæ, rem totam denunciare utilissimum habuerunt. Quibus cu[m] Cicero, per Sangam hac de re certior factus, ut, simulata amicitia, a coniuratorum principibus postularent jusjurandum, quod signatum ad cives perferrent, præcepisset,<sup>59)</sup> paruerunt, et adgressi quos debebant, facile postulata acceperunt et præterea T. Volturcum quendam, qui eos fidei confirmandæ caussa, prius quam domum irent, ad Catilinam duceret<sup>60)</sup>. Huic comiti Lentulus ad Catilinam dedit litteras, quarum exemplum nobis Sallustius et Cicero servarunt<sup>61)</sup>. Constituta jam nocte inter IV et III Non. Decemb., qua ad Catilinam irent, Cicero, per legatos hac de re certior factus, IV Non. Dec.<sup>62)</sup> L. Valerium Flaccum et C. Pontinum prætores cum electis adolescentibus, quum advesperasceret, occulte ad pontem Mulvium, quem transgressuri erant Allobroges, misit, ut eos et Volturcum captos ad se ducerent.

<sup>54)</sup> Quæ exstat; sed sunt viri docti, qui eam non a Cicerone profectam esse dicant. Cf. Clodius de authentia IIde orationis in Catilinam. 1826. cf. Jahrb. der Phil. und Päd. von Sahn, 1827. V, 1, p. 115 et: Neues Archiv für Phil. u. Päd. von Giebode. 1829. I, p. 4. — <sup>55)</sup> Cf. Cic. or. in Cat. II, c. 6 § 12 et ad Attic. I. II, ep. 1: „Habui orationem ad populum postridie, quam Catilina profugit.“ Sallustius vero nec hanc, nec reliquas orationes a Cicerone in Catilinam habitas ne memorat quidem. — <sup>56)</sup> Sall. c. 36. — <sup>57)</sup> Sall. c. 39 fin. — <sup>58)</sup> Sall. c. 40; Plut. Cic. vit. c. 18. — <sup>59)</sup> Sall. c. 41. — <sup>60)</sup> Sall. c. 44; Cic. or. in Cat. III, c. 2 § 4; Plut. Cic. vit. c. 18; Appian. b. civ. I. II, c. 4; Flor. I. IV, c. 1, § 9. — <sup>61)</sup> Sall. c. 41; Cic. or. in Cat. III, c. 5 § 12, quæ variis sunt scripta verbis. Haud dubie vero contra Moebium ad Cic. locum Sallustii exemplum verisimillimum est. Cf. Lange ad Sall. locum. Nam ut Cicero habitus tot orationibus optimam habuerit memoriam, ut tam brevem epistolam lectam memoriter ad verbum reddere potuisset; inde nondum sequitur, ut etiam hanc ad verbum memoria retinuerit præterea oratori sufficit summam indicasse, historici vero est tales res referre ad verbum. — <sup>62)</sup> Cic. or. in Cat. III, c. 2 § 5. —

Quod ita factum est<sup>63)</sup>. Quum jam dilucesceret III Non. Dec. iique cum litteris ad consulem deducerentur, vocatos statim ad se Lentulum, Cethegum, Statilium, Gabiniū et Cœparium, quod tanta in re sine senatu nihil suscipere voluit, in ædem Concordiæ secum tulit ad senatum convocatum<sup>64)</sup>. Deinde C. Sulpiciū prætorem misit, qui ex ædibus Cethegi, si quid telorum esset, efferret; nec frusta erat missus; magnam enim sicarum et gladiorum extulit copiam<sup>65)</sup>. Tum Volturciū sine Gallis introduxit, qui, data ei jussu senatus fide publica, omnia, quæ scivit, confessus est<sup>66)</sup>. Eadem dixerunt Allobrogum legati et Lentulum dissimulanteū præter litteras ab ipso datas sermonibus convicerunt, quos sæpe jactaverat: „Tribus Cornelii ex Sibyllinis libris summum Romæ imperium destinatum esse, quod quum Cinna et Sulla jam habuerint, ipsum esse tertium“<sup>67)</sup>. Quum vero omnes et signa et litteras cognovissent<sup>68)</sup>, et conjuratio hac ratione contra omnium exspectationem patefacta esset ipsorum principum confessione coram senatu facta, senatus Ciceroni, quid fieri placeret, consulenti primum, quod ejus providentia et diligentia civitas a maximis liberata esset periculis, gratias egit amplissimas<sup>69)</sup>, itemque Flacco et Pomino prætoribus et collegæ Antonio; tum decrevit, ut Lentulus, quum se prætura abdicasset, P. Lentulo Spintheri aedili, Cethagus Q. Cornificio, Statilius C. Cæsari, Gabinius M. Crasso, Cœparius Cn. Terentio senatori, ceterique aliis in liberam custodiam<sup>70)</sup> traderentur<sup>71)</sup>. Postremo Ciceronis nomine diis pro singulari eorum merito supplicatio est decreta his quidem verbis, „quod urbem incendiis, cæde cives, Italiam bello liberasset“<sup>72)</sup>. Quibus peractis Cicero eodem die, III Non. Decemb.<sup>73)</sup>, quum jam advesperaseret<sup>74)</sup>, iterum ad Quirites ante ædem Concordiæ collectos orationem, quam dicunt tertiam in Catilinam, habuit, qua, quæ modo in senatu gesta erant, proposuit<sup>75)</sup>; quam quo animo accep-

<sup>63)</sup> Sall. c. 45; Cic. or. in Cat. III, c. 2 et 3 init.; Plut. Cic. vit. c. 18 fin. — <sup>64)</sup> Sall. c. 46; Cic. l. c. 3; Plut. l. c. 19. — <sup>65)</sup> Cic. c. 4 § 8 et c. 5 § 10; Plut. c. 19. Sallustius hoc omisit. — <sup>66)</sup> Cic. c. 4 § 8; Sall. c. 47 int. — <sup>67)</sup> Cf. Sall. c. 47 ibique Kunh. et Lang.; Cic. c. 4 § 9; c. 5 § 11; IV in Cat. c. 6 § 12; Plut. c. 17; Appian. b. civ. l. II, c. 4 fin.; Flor. l. IV, c. 1 § 8; Wieland. l. c. p. 73. — <sup>68)</sup> Sall. c. 47; Cic. III, c. 5. — <sup>69)</sup> Cic. III, c. 6; pro Sall. c. 30. Sallustius hac de re nihil refert. — <sup>70)</sup> Cf. præter adnot. 131 interpretes ad Sall. c. 47. — <sup>71)</sup> Sall. c. 47; Cic. III in Cat., c. 6; Appianus vero l. II, c. 5 init. et Plutarchus Cic. vit. c. 19 eos negligentius prætoribus in custodiam traditos esse narrant. — <sup>72)</sup> Cic. III, c. 6, § 15; c. 10; IV, c. 3; c. 10, § 20 fin.; pro Sall. c. 30; in Pison. c. 3; Phil. II, c. 6; XIV, c. 8; ad fam. XV, ep. 4, 20. Dio Cassius haud dubie errat, qui l. 37, c. 36 post conjurorum animadversionem eam supplicationem, quod in tali re antea factum nunquam sit, decretam esse scribit. Sallustius tacet. — <sup>73)</sup> Cf. Cic. III in Cat. c. 9 et IV, (Non. Decemb. habita,) c. 5 § 10 et ad Attic. II, ep. 1: Nona in concione, quo die Allobroges involgarunt. — <sup>74)</sup> Cic. III, c. 12 fin.: „Quoniam jam nox est,“ et Plut. l. c. c. 18 med.: „ἡδη διαπέρας οὐσογες.“ — <sup>75)</sup> Cf. Meissn. ad Sall. c. 49 fin. et Wieland l. c. p. 87. —

rint, Sallustius, eos Catilinæ consilia exsecratos esse, Ciceronem vero ad cælum sustisse narrans, clare ostendit<sup>76)</sup>. Sequenti die, pridié Non. Decemb., Allobrogum legatis et Volturcio senatus amplissima decrevit præmia<sup>77)</sup>. Quum vero Cicero Lentuli et Cethegi libertos et servos vi dominos liberando assidue curare animadvertisset<sup>78)</sup>, præsidiis dispositis, senatum Nonis Decemb.<sup>79)</sup> convocatum interrogavit sententias, quid de iis fieri placeret, qui in custodiam traditi essent.

Quod ad sententias de his dictas spectat, quot sunt eas referentes quotque referentium interpres, tot fere etiam mira quadam ratione inveniuntur varietates et qui quoque ordine locuti sint, et quæ dixerint; quod igitur omnium perpendere sententias longum est, quæ quibusque rationibus verissima videantur, proponere sufficit<sup>80)</sup>. — Silanum primum sententiam rogatum, ut consulem designatum<sup>81)</sup>, supplicium de iis sumendum esse censuisse, omnes consentiunt<sup>82)</sup>. Hunc sequentium multi ei adsenserunt usque ad Tib. Neronem, qui „non statim morte muletandos, sed donec Catilina victo tota res exquisite pernosceretur, in custodia servandos esse“ censuit<sup>83)</sup>. Nullus jam si consentiret scriptor, nulla fere his dictis fides esset habenda; sed Salustio idem referente<sup>84)</sup> maxima accessit auctoritas, qui, licet et de ordine loquentium et de iis, quæ conserunt, brevior sit, tamen, Neronem post Silanum et ante Cæarem dixisse sententiam, clare appetat. Cur vero præter hunc utrumque Nero-nis sententiae nemo fecerit mentionem, omnesque tantum Silano usque ad Cæarem multos adsensisse dicant<sup>85)</sup>, ad hanc quæstionem non nisi conjectura respondere pos-

<sup>76)</sup> C. 48. — <sup>77)</sup> Cic. IV, c. 3 § 5 et c. 5 § 10; Sall. 50. — <sup>78)</sup> Sall. c. 50; Cic. IV, c. 8; Appian. II, c. 5; Dio Cass. I, 37, c. 35. — <sup>79)</sup> Plut. c. 20 sequenti die sententias de illo-rum virorum animadversione datas esse narrat, et Appianus adeo l. II, c. 5 traditis illis in custodiam Ciceronem dicit mox reversum de iis rogasse sententias; orto vero ingenti tumultu ante curiam per Lentuli et Cethegi servos libertosque, dominos vi liberare conantes, eum procuruisse e curia, dispositisque præsidiis reversum sententias ursisse. Ex Ciceronis vero verbis (IV, c. 5 § 10): „Is et nudius tertius in custodiam cives romauos dedit et supplicationem mihi decretivit et iudices hesterno die maximis præmiis affecit,“ quibus diebus quid factum sit, clare appetat. Cf. IV, c. 3. — <sup>80)</sup> Ciceronis jam tempore fuisse discrepantium, ex Cic. ad Attic. l. XII, ep. 21 videoas. Omnino conferas Rualdi animadv. XXXI in Plutarchum, ubi diversi variorum scrip-torum loci, ad totam hanc senatus deliberationem de Catilinae sociis pertinentes, uberius expen-duntur, qui liber mihi nou fuit ad manus. — <sup>81)</sup> De ordine sententiarum in senatu fereada-rum conferantur Gell. noct. Attic. l. IV, c. 10; XIV, c. 7; Appian. b. civ. l. II, c. 5; Lips. ad Tac. annal. l. III, c. 23 et Muret. in Cic. orat. tom. II, part. I, p. 698. — <sup>82)</sup> Sall. c. 50; Cic. or. in Cat. IV, c. 4; Plut. Cic. vit. c. 20 med.; Cat. min. c. 22 med.; Appian. l. c. l. II, c. 5. fin. — <sup>83)</sup> Appian. l. c. — <sup>84)</sup> C. 50. — <sup>85)</sup> Cic. in Cat. IV, c. 4 et 5; Suet. Jul. Cæs. c. 14; Plut. Jul. Cæs. c. 7; Cic. c. 20; Cat. min. c. 22; Flor. l. IV, c. 1 § 10. —

sis <sup>86</sup>). Cæsar vero, sententiam rogatus, non capite damnavit, sed, „publicatis eorum bonis, ipsos per municipia, quæ maxime opibus valerent, in vineulis habendos esse censuit ea quidem conditione, ne quis de iis postea ad senatum referret, neve cum populo ageret; qui aliter fecisset, hunc inter hostes esse habendum.“ <sup>87</sup> Quæ tamen sententia varie mutata legitur <sup>88</sup>). Ita quod Plutarchus Ciceroni permisum fuisse scribit, illas Italæ eligere urbes, haec dubie, quum talis electio non penes consulem, sed penes senatum esset, ipse adjecit, quem tum Appianus descripsit <sup>89</sup>). Cæsarem vero sempiterna censuisse vineula, et Sallustii et Dionis et Ciceronis <sup>90</sup>) probant verba, ut Plutarchus et Appianus, illum eos ad Catilinam tantum devictum custodiendos esse dixisse, (quæ Neronis fuit sententia,) scribentes errant. Hanc Cæsaris sententiam multi, et ejus potentia et vi orationis commoti, probaverunt. Tum Cicero habuit orationem, quam quartam dicunt in Catilinam <sup>91</sup>), tam artificiose compositam,

<sup>86</sup>) Quarum equidem duas allaturns sum; primum quod Cæsar, quippe qui anno 680 u. c. tribuni militum munere functus sit, 685 questor, 687 sedilis curulis, 689 pontifex maximus, 690 prætor fuerit, vehementiore oratione suam defendit sententiam, Nero autem plane ignotus fuisse videtur; tum quod, Nerone eos, dum Catilina victo res melius cognosceretur, in custodia habendos esse diceute, quum, eos tum multo minus e mortis animadversione evasuros esse, ut mores tantum differeret, hæc sententia quodam modo cum Silani dictis consentiret, quisque videtur, Cæsar, sempiterna, ut videtur, (de hoc paullo post erit sermo,) suadens vineula, vere primus aliter hac de re dixit. — <sup>87</sup>) Ita Sall. c. 51 fin.; Dio Cass. I. 37, c. 36 et Cic. in Cat. IV, c. 4 et 5. Suetonius Jul. Cæs. c. 14: „Senatu universo in socios facinoris ultimam statuente pœnam, Cæsar solus municipatim dividendos custodiendos publicatis bonis censuit.“ Brevius Plut. Cat. min. c. 22 scribit: „Καίσαρας διατάσσει τούς εκρήτους οὐκ εἰς τοὺς ἄρδες, εἰπεῖται δὲ τηγένειον εἰκάσεων.“ — <sup>88</sup>) Plut. Cic. c. 21 refert: „Καίσαρας διατάσσει πάτιφέντας μὴ διατάσσει τοὺς ἄρδες, ἀλλὰ τὰς οὐσίας εἶναι δημοσίας, αὐτοὺς δὲ πάπαχθίτας οἱ πόλεις τῆς Ἰταλίας, ἃς ἀτ δοκὶ Κικέων, τηγένειος διδερίνους, ἔχεις ἀτ ὑπὸ καταπολεμῆνης Κατιλίνας.“ Cæsar vit. c. 7 fin.: „Οὐ δὲ Καίσαρας λόγοι διῆλθε περιφεννόμενος, ἃς πάπαχθίτας μὴ εκρήτους ἄρδες εἰσάγειται καὶ γίνεται λαχταρίους, οὐ δοκὶ πάτριος, οὐδὲ δίκαιοι σῖναι, μὴ μετὰ τῆς εποχῆς αἰώνυμης εἰ δὲ φρεγαρίτη δέσποτης τῆς Ἰταλίας, ἃς ἀτ αὐτὸς εἴληται Κικέων, μέχεις ὑπὸ καταπολεμῆνης Κατιλίνας, ὑπεροιησίη καὶ καθ' ἐνοχίαν πειράτη βουλῇ γνῶναι υπάρξειν.“ Appian. b. civ. I. II, c. 6: „Γείος τις Καίσαρας προστίθη, διαβίσθω τοὺς ἄρδες Κικέων τῆς Ἰταλίας ἐν πόλεσι, ἃς ἀτ αὐτὸς δοκιμάσσει, μέχεις, Κατιλίνα καταπολεμῆνος, ισ δικασίειος ωταρχίασι, καὶ μηδὲ αἰνέσσεις οἱ ἄρδες εἰπεῖται η πρὸ λόγου καὶ δίκαιος ἐπειργασμένος.“ — <sup>89</sup>) Hunc enim fuisse morem Appiani, ut Plutarchi veiba describeret, Casaubonus docuit ad Suet. Jul. Cæs. c. 14 et rursus ad fragmenta Polybii ex Suida collecta p. 109 fin. — <sup>90</sup>) Or. in Cat. IV, c. 4 § 7. „Vincula vero, et ea sempiterna, certe ad singularem pœnam nefarii sceleris inventa sunt.“ Ita c. 5 § 10: Itaque homo mitissimus atque lenissimus non dubitat, P. Lentulum aternis tenebris vinculisque mandare. — <sup>91</sup>) Cic. ad Attic. I. II, ep. 1: Decimus in senatu Nonis Decemb. Tamen sunt docti, qui eam Ciceronis non esse dicant. Cf. Neues Archiv für Phil. und Päd. von Seebode, 1829. No. 55, pag. 219 fin. Ceterum mirum est, quod prius Plutarchum Cic. c. 21 nemo, Ciceronem quoque habuisse orationem, ne memorat quidem.

ut, dum utrique, Silano et Cæsari, gravissimis verbis favere videtur, tamen magis cum Silano consentiret <sup>92</sup>). Nihilominus vero multi in Cæsaris sententiam censuerunt, quin etiam Silanus in Neronis se iturum esse dixit <sup>93</sup>). Appiano autem et Wielando <sup>94</sup>), Ciceronem post Catonem demum locutum esse scribentibus, maxime id obstat, quod, eum, duas se adhuc videre sententias, unam Silani, (cujus primam ubique recenset,) alteram Cæsaris, dicentem, nec Catonis sententiam, nec Silani mutationem ne verbo quidem memoravisse, credendum non est. Aliis jam alii adsentientibus, Cæsaris tamen vicisset sententia, nisi ille Cato, Uticensis postea nominatus, quem Vellejus <sup>95</sup>) hominem vocat virtuti simillimum, et per omnia ingenio diis quam hominibus propiore, pæne inter ultimos interrogatus sententiam, tanta vi animi atque ingenii invectus esset in conjurationem, ut, ardore oris oratione omnium lenitatem suadentium plane extincta, universus fere senatus secundum ejus sententiam in conjuratos animadvertisse esse censeret. Quod omnes auctores, hac de re loquentes, testantur <sup>96</sup>). Cæsari vero, quod immoderatus perseveravit, quodque Cato multam suspicionem in eum movit <sup>97</sup>), nonnulli equites, qui aut periculi magnitudine, aut animi nobilitate impulsi Ciceronem circumstabant armati, egredienti ex senatu gladiis minati sunt <sup>98</sup>).

Postquam igitur senatus de conjuratis in custodiam traditis supplicium sumendum esse censuit, Cicero, ne instante nocte Lentuli Cethegique servis et libertis consilium dominorum e custodia liberandorum vere ex sententia procederet, timens ipse, præsi-

<sup>92</sup>) Meissn. ad Sall. c. 52 init.; Wieland. I. o. p. 90 et 91; Plutarchus vero Cic. c. 21 contrarium refert verbis: „Αὐτὸς γὰρ διατάσσειται εἰς εἰκάσεων, τὰ μὲν τὴν προτίτη, τὰ δὲ τὴν γνώμην Καίσαρος συνεπάτει· οἱ τε φίλοι πάτερες, εἰδίμοι, τῷ Κικέωνι συμφίεσσι τὴν Καίσαρος γνώμην, γέγοντο τὴν δευτέρην μᾶλλον γνώμην.“ — <sup>93</sup>) Sall. c. 50. fin.; Suet. Jul. Cæs. c. 14; Plut. Cat. min. c. 22; Cic. c. 21. — <sup>94</sup>) Appian. I. II, c. 6; Wieland. I. c. p. 90. — <sup>95</sup>) Historia romana I. II, c. 35. — <sup>96</sup>) Sall. c. 53; Suetonius Jul. Cæs. c. 14; Appian. I. II, c. 6; Dio Cass. I. 37, c. 36; Plut. Cat. min. c. 23 fin.; Vellej. I. c.; Flor. I. IV, c. 1 § 10. Plutarchus vero Cic. c. 21, Cæsari primum obstitisse dicens Catulum Lutatium, tum Catonem, quod etiam, sed inverso ordine, Cæs. c. 8 refert, non jam errat, quum secundum Sallustium c. 52 init. ante Catonem alii adsentirentur, ut Catulus jam eandem posset dixisse sententiam, Cato vero solus nominaretur. Cf. Kunkhardt. ad Sall. c. 51 fin. De Catonis oratione lege Ciceronem Pro Sext. c. 28 et Kunk. ad Sall. c. 52 init. — <sup>97</sup>) Cf. Plut. Cat. min. c. 23 et Vellej. I. c. — <sup>98</sup>) Ita rem narrat Plut. Cæs. c. 8 et Cic. c. 21 contra Suetonius Jul. Cæs. c. 14, idem Cæsari, quod immoderatus perseveraverit, accidisse referentem, sed in senatu adhuc sedenti, quem una proximi deseruerint, vix pauci complexu togaque objecta protexerint, et contra Sallustium c. 49 fin., egredienti quidem e senatu, sed ante sententias de conjuratis puniendi latas ex invidia, quam Catulus et Piso Cæsari conflaverint, nonnullos equites, præsidii loco cum telis aedem Concordiae circumstantes, gladio ministatos esse dicentem, Cf. Meissn. ad Sall. I. c. —

diiis dispositis, Lentulum in carcerem dedaxit, quod ceteris factum est per praetores <sup>99)</sup>. Hoc in carcere, quod Tullianum appellabatur, supplicium sumtum est <sup>200)</sup> de Lentulo, Cethego, Statilio, Gabinio et Cœpario <sup>1)</sup>. In novem quidem conjuratos supplicium erat decretum <sup>2)</sup>; sed, quum quatuor comprehendendi non possent, de quinque tantum est sumtum <sup>3)</sup>.

Ciceronis vero potissimum, quamvis per Fulviam edocti, cura et diligentia urbem liberatam esse ab incendio, a cæde cives, negari non potest <sup>4)</sup>, ut, quod Plutarchus Cic. vit. c. 22 narrat, credibile sit: Ciceronem domum, quum sumto supplicio jam ad vesperam reverteretur, non silentio civium assecutum esse, sed medio plausu patriæ servatore nominantium; quia etiam feminas eum visuras prodiisse <sup>5)</sup>. Quæ sunt illæ Nonæ saep memoratae <sup>6)</sup>. Nec mirum, quod Cicerone ipso teste <sup>7)</sup> Q. Catulus eum frequentissimo senatu parentem patriæ nominavit itemque Cato ante populum <sup>8)</sup>; cuius honorificæ appellationis multi meminerunt scriptores, ut Plinius <sup>9)</sup> verbis: Salve primus omnium parens patriæ appellate, primus in toga triumphum lingueque lauream merite; Juvenalis <sup>10)</sup>:

Roma parentem,

Roma patrem patriæ Ciceronem libera dixit <sup>11)</sup>.

Denique L. Gellius, vir censorius, in senatu Ciceronem corona civica donari

<sup>99)</sup> Plutarchus negligentius Ciceronem ipsum omnes in carcere deductos occidisse refert Cic. c. 22: Παρεδώκει τὸς Λέντλος τῷ δημόσῳ καὶ προσέταξεν αὐτοῖς τὸν Κίληγον καὶ σύν τῷ ἄλλῳ ἔκαστον καταγγεῖλαντειν. — <sup>200)</sup> Sall. c. 55 dicit: Laqueo galam fregere; Flor. IV, c. 1 § 10: In carcere parricidae strangulantur. — <sup>1)</sup> Sall. c. 55; Appian. I. II, c. 6. — <sup>2)</sup> Cic. in Cat. III, c. 6 § 15: Atque ea lenitate senatus est usus, Quirites, ut ex tanta coniuratione tanquam vi ac multitudine domesticorum hostium novem hominum perditissimorum poena, republica conservata, reliquorum mentes sanari posse arbitraretur. Cf. Sall. c. 56. — <sup>3)</sup> Cic. pro Sull. c. 11 dicit: Meis consiliis, meis laboribus, meis capitis periculis, sine tumultu, sine delectu, sine armis, sine exercitu, quinque hominibus comprehensis atque confessis incensione urbem, internecione cives, vastitate Italiam, interitus rempublicam liberavi; ego vitam omnium civium — quinque hominum amentium ac perditorum poena redemi. — <sup>4)</sup> Conferas Vellej. I. II, c. 34 aliasque. — <sup>5)</sup> Cf. etiam Appian. I. II, c. 7. — <sup>6)</sup> Cicero pro Flacco c. 40 fin. dicit: O Nonæ illæ Decembres, quæ me consule fuistis! quem ego diem vere natalem hujus urbis, aut certe salutarem appellare possum, Cf. or. post red. in sen. c. 5; ad fam. I. I, ep. 9; ad Att. I. X, ep. 1. — <sup>7)</sup> Or. in Pis. c. 3 verbis: Me Q. Catulus, princeps hujus ordinis, frequentissimo senatu parentem patriæ nominavit; pro Sext. c. 57: Me Q. Catulus multique alii saepe in senatu patrem patriæ nominarunt. — <sup>8)</sup> Appian. I. II, c. 7 dicens: Κατωρος δ' αὐτῶν καὶ Πατρέως τῆς Πατριδος προσεγγορεύσαντος, ἐπεβόησεν ὁ δῆμος. Idem dicit Plut. Cic. vit. c. 23 fin. — <sup>9)</sup> Hist. nat. I. VII, c. 30. — <sup>10)</sup> Sat. VIII, vers. 241. — <sup>11)</sup> Cf. etiam Lucan. phars. I. VII a vers. 62 sqq. =

e republica censuit <sup>12)</sup>, Capuaque eum patronum sibi elegit inaurataque statua donavit <sup>13)</sup>; quorum omnium Sallustius injuste nullam fecit mentionem.

Dum hæc Romæ geruntur, Catilina nuntium exspectans, omnia sua decreta Romæ jam esse perfecta referentem, omni modo Antonio, cujus exercitus, Cicerone teste <sup>14)</sup>, copiis a Sextio ductis auctus erat, occasionem pugnandi non dare studuit <sup>15)</sup>; allato vero nuntio de tristi coniurationis principum Romæ relictorum sorte, quum magna pars sociorum dilaberetur, Q. Metellus Celer, qui cum tribus legionibus in agro Piceno præsidebat, Catilinam in Galliam fugere non pateretur, Antonius vero eum persequeretur; necessitate coactus sub ipsis Appenninorum radicibus <sup>16)</sup> consedit et adhortatus suos, belli fortunam tentaturus, cum Antonio quam primum configgere statuit <sup>17)</sup>. Antonius vero aut vere pedibus aeger <sup>18)</sup>, aut morbum simulans, ne Catilina probris in eum invehernetur, quem socium coniurationis aliquando habuisse <sup>19)</sup>, M. Petrejo legato <sup>20)</sup> exercitum permisit, qui adhortatus suos, ut meminerint, se contra latrones inermes, pro patria, pro liberis, pro aris atque focis suis pugnare <sup>21)</sup>, superior discessit. Quot hostes ceciderint, quum Sallustius Catilinam duas legiones instituisse numeroque hominum explevisse, igitur plus octo millia, quorum tamen circiter quarta pars militaribus armis instructa fuerit <sup>22)</sup>, Appianus <sup>23)</sup> ad viginti hominum millia, Dio Cassius <sup>24)</sup> vero tria millia circa se habuisse dicant, jam constitui non potest. Ex omni vero Catilinæ exercitu neque in prælio, neque in fuga quemquam civem ingenuum captum esse,

<sup>12)</sup> Hoc probat Cicero or. in Pis. c. 3 verbis: Mihi vir clarissimus, L. Gellius, his (senatoribus) audientibus, civileam coronam deberi e republica dixit. Idem narrat Gellius noct. Attic. I. V, c. 6. — <sup>13)</sup> Lege Cic. or. in Pis. c. 11: Me inaurata statua donarant (Capuae cives); me patronum num adsciverant; a me se habere vitam, fortunas, liberos arbitrabantur. — <sup>14)</sup> Or. pro Sext. c. 5: Sextius cum illo suo exercitu summa celeritate est Antonium consequens. — <sup>15)</sup> Sall. c. 56. — <sup>16)</sup> Appianus pugnat, quæ tum commissa est, falso sub Alpium radicibus fuisse dicit I. II, c. 7 contra Sallustium, Ciceronem et Dionem. — <sup>17)</sup> Sall. c. 57 et 58. — <sup>18)</sup> Sall. c. 59. — <sup>19)</sup> Hoc suspicatur Dio Cass. I. 37, c. 36. Cicero hoc eum timore fecisse dicit or. pro Sext., c. 5 verbis: Hic ego quid predicem, quibus hic (Sextius) rebus consulē (Antonium) ad rem gerendam excitari? quot stimulus admovevit homini studioso fortassis victoria, sed tamen nimium communem Martem bellique casum metuentes? — Si M. Petreji non excellens amore reipublicæ, non præstans in republica virtus, non summa auctoritas apud milites, non mirificus usus in re militari exstitisset, neque adjutor ei P. Sextius ad excitandum Antonium, cohortandum, impellendum fuisset; datus illo in bello esset hiemi locus, neque unquam Catilina, quum e pruina Apennini atque e nivibus illis emersisset, atque aestate integrum nactus, Italiae calles et pastorum stabula prædarī cōpisset, sine multo sanguine ac sine totius Italiae vastitate miserrima concidisset. — <sup>20)</sup> Sall. c. 59. — <sup>21)</sup> Sall. I. c. — <sup>22)</sup> Sall. c. 56. — <sup>23)</sup> I. II, c. 7. — <sup>24)</sup> I. 37, c. 36. =

Sallustius et Appianus et Florus testantur 25). At Catilina, qui memor generis atque pristinæ suæ dignitatis in confertissimos hostes incurrerat 26), longe ante suos inter hostium cadavera repertus est, paullulum etiam spirans ferociamque animi, quam habuerat vivus, in vultu retinens 27).

Sic bellum finitum est tetricum, ex paucorum ortum conjuratione, quod non ex sententia cessit votum, unius potissimum cura et diligentia.

Quid vero in re tanta tamque difficilis argumenti, in qua ne doctissimi quidem viri, qui eidem operam suam dedere, inter se consentiant, præstiterim, sit penes viros æque eruditos ac æquos, qui, etsi non ubique suo judicio satisfactum esse cognoverint, primo tamen hujusmodi periculo paullulum indulgeant.

---

25) Sall. c. 61; Appianus I. II, c. 7: Οὐ μὴν ὅ γε Κατιλίνας, οὐδὲ ἄλλος οὐδεὶς τῶν συνόντων ἐπιφανῶν, φυγεῖν ηὔξιωσεν ἀλλ' ἐσδραμόντες ἢ τοὺς πολεμίους ἀπώλοντο. Florus I. IV, c. 1 fin. Quam atrociter pugnatum sit, exitus docuit. Nemo hostium bello superfluit; quem quis in pugnando ceperat locum, eum amissa anima corpore tegebat. — 26) Sall. c. 60 fin. — 27) Ita rem narrant Sallustius c. 61; Vellejus I. II, c. 25 verbis: At Catilina non segnius vota obiit; quam sceleris conandi consilia inierat, quippe fortissime dimicans, quem spiritum supplicio debuerat, proelio reddidit, et: Florus I. c.: „Catilina longe a suis inter hostium cadavera repertus est; pulcherrima morte, si pro patria sic concidisset.“

Wolff.

---